

Puteolana historia ... a secretis et cive conscripta. Accessit ejusdem de balneis libellus / [Giulio Cesare Capaccio].

Contributors

Capaccio, Giulio Cesare, 1552-1634

Publication/Creation

Neapoli : Excudebat Constantinus Vitalis, 1604.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ss73spn4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>




1256



Handwritten text in the bottom right corner, possibly a signature or date, including the word "April" and some numbers.

44 E 10911



27
P V T E O L A N A
H I S T O R I A

A I V L I O C A E S A R E C A P A C I O
N E A P O L I T A N A E V R B I S

A S E C R E T I S E T C I V E
C O N S C R I P T A.

Accessit eiusdem

D E B A L N E I S L I B E L L V S.



N E A P O L I,

Excudebat Conflantinus Vitalis. MDCIIII.

OMNIA SVMMI PONTIFICIS AVCTORITATI
ET S. ROMANÆ ECCLESIAE EMENDA-
TIONI SVBICIVNTOR.



EXCELLENTISSIMO
MATTHAEO A CAPVA
CONCHANORVM
PRINCIPI
REGNIQ. MAGNO ADMIRATO
& Consilij supremi ordinis Decano.

IVLIVS CAESAR CAPACIVS NEAP. S.



VAE admirabilia in Puteolano, Baiano, Misenate, & Cumanosinu veteres scriptores Latini, Graeciq. proposuere, in hosce meos labores compuli Princeps Excellētissime vt nihil reliqui esset quod curiosum hominū genus eò accedens, maximo studio desideraret. Quae ad antiquitatem pertinent, planissimè sunt explicata. Quae ad historiarum methodum, non intermissa. Quae in terrae visceribus,



ribus, calidis aquis, ignibusq. & sulphure ac bitumine recondita & perfusa, philosophiae *ληκύθοις* in lucem reuocata. Lapides aut coeno, aut sordibus eruti, locupletes erunt veterum monumentorum testes. Numismata Religionem, tùm sacra mysteria declarabunt. Quae verò Christianam Religionem decent, tanto pietatis studio colligere libuit, vt nec Martyrum celebritates, nec Sanctorum Reliquias aut translationes, nec Episcoporum series quisquam aliundè haurire quàm ex hoc fonte (absit verbo inuidia) cupiet. Opus in tot antiquitatis anfractibus elaboratum tibi dicaui Excellentissime Princeps cuius memoria mihi est multò iucundissima, vt tuam gratiam aucuper, animiq. tui magnitudine & splendoribus, aliquid laudis in his lucubrationibus enitefcatur. Cum Puteolos accefferis, subcisiuis horis lege; & æternum vale Princeps optime, Neapolitanae nobilitatis ornamentum. Neapoli Calend. Augusti
CIC. DC. IIII.

AD CIVES PVTEOLANOS.



NON ea debuerat vestra esse fortuna, vt omnem gloriam aut barbarorum furor, aut terraemotus labes, vel ignis vesania sepeliret. Atque, (o rem deplorandam) nec lapides ipsi ad contegendam sepulturam satis. Mutuli enim, fracti, & abrafi. Quid restat? Vix vestigium; idq. aratri importunitate deturpatum. Vestigium tamen quod ignis pietas seruauit, quem cum aliquando Vesuii interiora eructassent, Herculanium, & Pompeios florentes vrbes, cum theatris, cum ciuibus, cum aëre ipso contumulauit. Non sic impiè vobiscum actum est. Addo Stabias Romani Senatus indignatione solo aequatas, Cumas, Misenum, Baias dirutas, quas inanes vos tanquam è specula conspicitis. Ergò ne tot vrbium interitus, vestrae vrbis vitam etsi miseram quippe quae ex cadaueribus reuiuiscit quodammodo, non consolabitur? Adhuc Puteolani estis. Adhuc in vulnerato felicitis Dicaearchiae corpore cicarrices obductae cernuntur, & vestrum adhuc solum ex numismatum lapidumq. seminibus quae Puteolani pulueris gleba contegit, amplitudinem Romanam, quae suo splendore vestris luminibus luxit, cum aliqua antiquarum rerum vbertate redundat. Illudq. vos recreet plurimum, quòd cum Emporium celeberrimum Puteoli Cumanorum fuerint; hoc tempore Neapolitanae vrbi, cuius aedificio vester quoque labor interfuit, non tantum oleum fructuumq. ad commoditatem, sed etiam Balnearum ad sanitatem tuendam suppeditet annonam. Quod si à Neapolitano ad vitā reuocari aliqua ex parte non displicet, mihi tantum tribuite, vt aut cum vestra laude non viuam inglorius, aut sint Puteoli nominis & laboris mei sepulcrum. Valete.

AD LECTOREM.

P R I M O R I B V S tantum labris degustandos latices Puteolanarum antiquitatum scriptores proposuere, qui ex earum monumentis eos deducere conati sunt. Sitis tamen adhuc reliqua. Quae enim inter earum fragmenta secretiora delitescebant, non sibi reperienda duxerunt. Quae propinanda erant, impie reiecere. Quae curiosorum animos explere poterant, proponere aut dubitarunt, aut ignorarunt. Tacenda, loquuti. Dicenda, obliti. Quid maius Puteolis aut Philosophia meditabitur, aut Naturalis Magia obloquetur, aut sacris mysterijs obuoluta prophana pronuntiabit historia? Obijcitur totus ille sinus miraculis praeclarus, quae mediusfidius & admirationem excitant, & timorem spectantibus praebent, & in maximam abditarum rerum opinionem homines adducunt. Admiror ignem qui nullo inde impulsu facile pellitur. Ignem, qui cum consumere deberet, vitalem omnibus rebus, quae ibi nascuntur, impertit calorem; & qui non focus publicis à Vestalibus, sed ab ipsa terra & materia sempiternus custoditur. Quid prata in ignibus? Virent, florent, vernant semper campi, quos nescio utrum roscido purissimi coeli humore, an ignis fluminibus dicam irriguos. Admiror aquas, non Sextias, aut Caballinas. sed calidarum perennitates, Balneasq. earum tot saeculis nutrices & alumnas. Ecquae nam aquae? Admirabiles

biles profecto, quae neque conclusae corrumpuntur, nec
frigoribus congelant, nec pruina concrescunt. Quae
dum per terrae venas sensim permeant, ex iugibus dein-
de fontibus ad hominis vitam & salutem extrahuntur.
At qui nam in ijs venis sulphuris, aluminis, chalcanthi,
chalcitis, auri, ferri, argenti thesauri? Ut in orbe ter-
rarum Naturam vterum tulisse, & Puteolis peperisse di-
cas. Aërem laudabis procellis non obnoxium, crassis nu-
bibus nunquam concretum, ex respiratione medicatarum
aquarum circumfusum, placidissimos humores colligentem,
agrum illū augere imbribus; vt Anaximenis Deum aërem
Puteolis statuas, & Chrysippi Neptunum dum per maria
& sinus illos manat, qui semper tranquilli, nauium sta-
tionib. tuti, natantibus salubres, & commoditati vber-
rimi piscatorum. Quid semiruta simulacra, quae imagi-
nē antiquae venustatis referunt, atq; ita vt veluti pompa
& spectaculo maximè circum oculi teneantur? Insepultam
tot cadauerum sepulturam lugeo dum sedeo ad parietinas
squalentes, uepribus obrutas. at verò saepius spirantium
Imperatorum capita, bustis voluntate impono dum mani-
bus nequeo. Enumero aliquando maximorum Principum
villas, procerum Romanorum domicilia in quibus prae-
fulxit saepius fascium amplitudo, & Romano Senatui
dignitas erepta est, quando adhuc Augusti, Neronis, Ti-
berij, Caij, Traiani, Adriani, Antonini audiuntur vo-
ces, notantur gesta, seruantur imagines. Et meritò ad
ignes Romani fastus tumor efferbuit. Et qui ad honores
fumosarū imaginum obrepserunt, libenter fumantis terrae

solum

*solum cōmendarunt . Heroes splendide viuentes , sumptuo-
siorē cultu Lucūllos , nimio ocio Vacias , piscinarum vasti-
tate Hortensios , Hirrios , Philippos , reprehendo sanè , sed
ab eorum laudibus non abstineo , qui ganearum nidorem ,
profusam in summa vbertate luxuriem , luculenta tran-
quillitatis ocia , Romani animi maiestatem Puteolis osten-
tarunt . Quid igitur Puteoli ? Res magna profectò . Qui
non ita sunt depingendi vt claritati obstruat obscuritas ,
aut desideratae à doctioribus obscuritati desit color . Quae
bono animo in hoc volumen reieci recto iudicio secernas .
Vale .*



ELENCHVS AVCTORVM.

A

A Bas Tritemius.
A cta Apostolorum.
 Acta Regum Neap.
 Acta S. Maximi.
 Acta S. Iulianae.
 Adrianus in oratione.
 Adrianus Turnebus.
 Aelianus.
 Aelius Lampridius.
 Aelius Marchesius.
 Aelius Spartianus.
 Agathias.
 Agatosthenes.
 Agellius.
 Albertus Magnus.
 Alexander ab Alex.
 Alexander Trallianus.
 Alexis.
 D. Ambrosius.
 Ammianus Marcellinus.
 Anacreon.
 Anastasius Bibliothec.
 Andreas Baccius.
 Angelus Constantius.
 Antigonus.
 Antonius à Falconibus.
 Antonius Bonfinius.
 Apollonis Scholiastes.
 Appianus Alex.
 Arnobius.
 Aristophanes.
 Aristophanis Schol.
 Aristoteles.
 Athenaeus.
 Augerius Gislenus.
 Aufustius.
 D. Augustinus.
 Auicenna.
 Apertus.
 Aurelius Cassiodorus.
 Aurelius Victor.
 Aufonius.

B

B artholomaeus Facius.
 Bartholomaeus marāta

Bellonius.

Blondus.

Breuiarium Capuanum.

Breuiarium Salernitanum.

Briffonius.

C

C aesar Baronius Car-
 dinalis.

Caesaris Commentaria.

Carolus Sigonius.

Catullus.

Censorinus.

Chariclares.

Chronica Cassinensis.

Chronica Ioannis Villani.

Cicero.

Ciprianus.

Claudianus.

Clemens Alexandrinus.

Collegium Conimbricēse.

Collenucius.

Columella.

Concilia generalia.

Constantinus.

Cornelius Celsus.

Cornelius Seuerus.

Cornelius Tacitus.

D

D ecretum.

Dio.

Diodorus Siculus.

Dionysius Afer.

Dionysius Halicarnassens.

Dionysius Lambinus.

Ditmarus.

Donatus.

Dorotheus.

E

E nnius.

Epigrammata Graeca.

Eugipius.

Euripides.

Eusebius.

Eustathius.

Eutropius.

F

F estus.

Flavius Vopiscus.

Franciscus Aretinus.

Franciscus Lombardus.

Franciscus Petrarcha.

Frontinus.

Fulvius Ursinus.

G

G alenus.

Georgius Agricola.

Georgius Cedrenus.

Glossae.

Glyca in annalibus.

D. Gregorius.

Gordianus.

Gulielmus Apulienfis.

H

H arpocratio.

Hegeſippus.

Hellanicus Lesbicus.

Herempertus.

Hermias.

Herodianus.

Herodotus.

Hesiodus.

D. Hieronymus.

Hieronymus Borgius.

Hieronymus Cardanns.

Hieronymus Fracastorius.

Hippolytus Martyr.

Homerus.

Homeri Scholiastes.

Honorius III.

Horatius.

Huberrus Goltzius.

Hyperocus.

I

I acobus Sannazarius.

Iamblichus.

D. Ignatius.

Innocentius III.

Inscriptiones antiquae.

Ioannes Albinus.

Ioannes Antonius Cāpanus

Ioannes Boccaccius.

††

Ioannes

Unable to display this page

I N D E X

R E R V M M E M O R A B I L I V M .

A		A	
A Bas Odillo Cluniacensis.	46	Aquae è Serino Misenum	uirginem. 61
fol 57		duellae.	133
Academia Ciceronis.	46	Argillae Cimmeriorum.	100
Acheronte s varij.	99	Arena Puteolana.	16
Acherusia palus.	185	Aristodemus Cumanorum Ti	64
S. Acuius ciuis Puteol. mar-		rannus.	143
tyr.	60	Armamentaria fabrica.	31
Adenulphus Comes Puteol.	73	S. Arthemias martyr Puteola-	
Adrianus Imp. obiit Baijs.	20	nus.	79
Aetna Vulcano sacer.	49	Astiacus libertus Puteolis.	42
Agrippae Piscina mirabilis.		Asinius Pollio Patronus Pu-	
133. Portus Misenis 128.		teol.	13
Nummus.	129.	Auernus lacus.	93. Necya 95.
Agrippinae interitus ad Bau-		descriptio.	101
los.	123	Auerni plures.	93
Alexandrinae naues.	42	Auernus pro inferno.	104
Aligernus Cumas defendit.		Augustales ludi Neapoli.	6
151		B	
Alumen Puteolanum 13. Pu-		B Acchus Puteolanorū.	25
teolis interdictum. 53. con-		Bacchi sacerdotes.	25
ficiendi ratio. 54. eius locum		Baiae mari submersae.	113
Pontifex coemit.	53	Baiae scortorū diuersorū.	114
Ambrosius medicus Puteo.	45	sinus, & amoenitas.	107.
Ambubaeae scorta Baijs.	114	aquarum luxus.	108
Amphitheatrū Puteolanū.	34.	Cymbae 111. eius sinus vitia,	
leges spectandi dedit.	36.	115. piscinae 116. eius tem-	
eius celebritas.	37.	pla 117. numismata 118.	
Sanctos		pisces.	18
martyres habuit.	37	Baianensis Episcopus.	121
Andronicus Puteolanus.	45	Baijs obiit Adrianus.	20
Annibal Puteolos obsidet.	68.	Baius Vlyssis socius.	108
ad Auernum sacrificat.	97	Basilicae, & Curiae.	8
Annona Puteolanorum.	40	Bauli, & Boaula.	122
Antistius vetus Puteolis.	47	Baulis Agrippina circumuen-	
Antiniana villa.	199	ta 123. piscinae Horten-	
Antrum Sibyllae Cumis.	159	sij.	125
Antrum Sibyllae ad Auer-		Beneuentum S. Ianuarij cor-	
num.	102	pus translatus 61. Sancto-	
Apollinis templū Cumis.	175	rum Festi, & Desiderij cor-	
Aquae sulphureae in Vulcani		pura translata.	60
foro.	52	Beneuento corpus S. Ianuarij	
Aqua, & ignis sim ul coeūt.	55	transfertur ad Montem-	

Bituminis plurā genera.	64
Bitumen an materia sit ignis.	
Boaula, vide Bauli.	
Boffa Puteolana familia.	76
Bruti Patroni Puteolanorū	13
Bullae aureae Tiberij Baijs.	
121	

C	
C Alciarium quid.	33
C. Caligulae pons Pu-	
teolis.	17
Caligula inuidiae, & Neptu-	
no sacrificat.	18
Calypsus statua ad Auernū	96
Campaniae diuifio.	139
Cāpani Cumanorū hostes	149
Campi Phlegraei.	50
Capreis belluarum ossa.	43
Capuccini in Vulcani Foro	62
Carbonarij, et Dendrophori	31
C. Cassius Puteolanorum se-	
dicionem placat.	9
Cassius et Brutus Patroni Pu-	
teol.	13
S. Celsus Petri discipulus Pu-	
teolis.	78
Centonariorum corpus.	31
Chalcāthum Puteolanum.	54
Chimica in Vulcani Foro.	52
Christianorum ludibrium in	
Amphitheatre.	38
Ciceronis Academia 46. villa	
Puteolis 20. horti.	46.
Cimmerij Stygiam paludem	
an habitarent.	100
Cinerei montis eruptio.	89
Circus Puteolanus.	34
Circus Baulis.	125
Classiarj Puteolis.	32
Claudius Fauētin ⁹ Misenis	10
†† 2 Cocceius	

Cocceius Architectus. 189
Coloniæ genera. 11
Colonia Puteolana. 10
Collegia & corpora aurificum
Put. 27
Collegium Pistorum 28. sua-
uorum & confecturario-
rum 28 **Dendrophororū** 28
Collegia Equitum, Augusta-
lium. 32
Colores Puteolani. 41
Comitiua Puteolana. 73
Comitiua Misenas. 137
Constantiorum familia. 75
Constantinus arenam Puteo-
lanam Bizantium perdu-
cit. 16
Cornelia Misenis. 135
Corpora Puteolana. 28
Corpus Equitum Neapoli. 32
Crypta Neapolitana. 187
Cumae, à quo aedificatae 138
munitissimum oppidū, 138.
tyrannide occupatae, 143.
à Xenocrita liberatae 146.
à Romanis recipiuntur 151.
occupantur à Longobardis,
152. occupantur à Narfe-
te, 151. recipiuntur à Ioan-
ne Neapolitanorum Duce,
152. euertuntur à Neapo-
litanis, 153. ab Aligerno de-
fenduntur, 151. possidentur
ab Auerfanis, 153. Colonia,
Municipium. 157
Cumanorum, antiquitas 140.
hostes varij, 148. Emporiū
Puteoli, 2. felicitas, 141. int-
micitia cū Campanis, 141.
Ecclesia, 177. Episcopi, 178
Martyres, 180. ludē, 178.
nomen, 141. prodigia, 176.
Cumana, caementa solidissi-
ma, 16. vasa, 174. lina, 175
cimae. ibid.
Cumis, obiit Tarquinius su-
perbus, 147. thesauros Toti-
las & Teia seruauit, 151.

nausfragiū facit classis Ro-
mana, 173. Bellum nauale
committitur, 173. Iustinus
martyr commoratur, 159.
quomodo animaduerteba-
tur in adulteras, 177. obiit
Petronius Neronis familia-
ris, 175 templum Apolli-
nis, ibid. obiit Palladius
Dux. 151

Cumani scriptores. 176
Curia Anniana Puteolis. 8

D
Aemones in Vulcani Fo-
ro. 56

Daemones, & Lares. 24
Delphini amores. 87

Dendrophori varij in locis. 31
Dendrophori lauacris desti-
nati. 31

Denunciatores. 33
S. Desiderius martyr Puteolis. 37. 60

Diana Puteolanorum. 25
Dianae templum Baij. 117

Dicaearchia, Puteoli. 2
Dicaearchiae Respublica. 5

Dicaearchiae nomen muta-
tum. 14

Dicaeopolis. 1
Dicaeus Neptuni filius. 3

Ditis Ianua, quae, 93. 97. 99
Duumiuri Puteolis. 8

E
Ecclesia Cumana. 177

Ecclesia Misenas. 135
Ecclesia Puteolana. 78

Echini Nesidis. 204
Echini Misenates. 135

Emporium Puteolanum. 2
Episcopi Cumani. 178

Episcopi Misenates. 136
Episcopi Puteolani. 80

Erymanthij apri dentes Cu-
mis. 175

Euploea insula. 204
S. Euthices Puteolanus mar-
tyr. 37

Euxinius sinus ad Baulos. 126

F

Fabricae armorum varij
in locis. 31

S. Festus martyr Put. 37 60
Forum Vulcani, & Leucogei
montes. 49

Forū Vulcani describitur. 51
Martyres celeberrimos ha-
buit. 59

Fossa Neronis, & eius Archi-
tecti. 103

Franciscus Puteolanus. 45

G

Allinaria silua 14. 149
Gauri mōtes plures. 104

Genius Puteolanorum. 24
Genius Balsami, Vipera. 24

Genius in nummis Imperato-
rum. 24

Genius Caesarum. 25
Germani satidici. 166

Gigantum offit Puteolis. 41
Gigantes in Phlegra. 49

Goffridus è Montefusco loco Nea-
politanus. 153

Gottbi Puteolos incendunt. 68
Graphia apud antiquos. 207

H

Astaria fabrica. 31
Hebo Puteolanorum. 5

Hebonis religio. 19
Hercule a porta Puteolis. 4

Herculea via. 86
Hercules Puteolanorum. 26.

eius templum Baulis. 122
Herculis cognomina. 26

Hiera Vulcani antrum. 49
Hippodromus, & Circus. 34

Honoris, & Serapidis religio
Puteolis. 21

Hortensij piscinae ad Bau-
los. 125

Horti Ciceroniani 46. **Cluui-**
ni, Piliari, Toletani. 47

I

Iacobi Sannazarij sepul-
chrum. 199

Iacobus

Iacobus Sannazarius templum in Mergellina aedificauit. 200
Ianua Ditis, quae. 97
S. Ianuarius in Amphit. Puteolano, 37. eius martyriū, 59. *Neapolim Puteolis trāslatio, 60. sepultura, 61. eius corpus à Sicone ablatū, 61. aedes Puteolis à Neapolitanis condita 62. à Monteuirgine Neapolim translatio, 61. sanguis.* 59
Ignis, & aqua simul coeūt. 55
Ignis subterraneus bitumine nutritur. 64
Ignes Puteolani. 56. 63
Inuidiae Caius sacrificat. 18
Inuidiae religio Puteolis. 21
Ioannes de Basso perduellis 43
Ioannes Andreas Cioffus Puteolanus. 76
Ionum Colonia Puteoli. 20
Iouis sacerdotium. 32
S. Iulianae martyris Cumis translatio. 180
Iuppiter custos, Puteolis. 27
Iuppiter Paufilippus. 27
Iurati 20. Puteolis. 23
S. Iustinus martyr Cumas adiit. 159

L

Labyrinthus Puteolanus. 36
Labyrinthi varij. 36
Lapides in aquis ardentes. 65
Lapides Puteolani. 74
Legio Pretenfis. 150
Leuterini Gigantes. 50
Lictores Municipales. 33
Lignarij Iouis. 32
Littera, & Lotteria familia. 154
Lucrinus lacus. 69. 83
Lucrinus, bonum omen. 86
Lucrini Delphinus. 87
Ludi Pij Puteolani. 5
Ludi Cumani. 174

Luculli villa Misenis. 134
Ludouicus Imp. in Balneis Puteolanis. 69

M

Aniplarius quis sit. 132
Marcus Pulex Put. 77
Mariae Puteolanae robur. 44
Marinus Boffa Puteolanus 76
Martyres Cumani. 180
Martyres Misenes. 135
Martyres Bestiarj dicebantur. 38
Massamuti Puteolos spoliāt 70
Mergellina unde dicta. 199
Metalla fumo sulphureo diffipantur. 52
Miseni promontorium. 127.
portus Agrippae, 128. Pharus, 85. Ecclesia, 135. Episcopi, 136. villae, 134. Echinni, 135. Comitina, 137. à Sarracenis solo aequatur, 136. eius Ecclesiae bona. 207
Misenus Aeneae tubicen. 128
Missiones in militia. 131
Moabitae Puteolos spoliāt. 70
Moles Puteolana. 16
Mons cinereus Puteolis. 89
Mons Christi ad Auernū. 104
Mons Gaurus ad Auernū 104
Mons Grillus ad Baias. 121
Municipium Puteolanum.
Muraenarum numerus Baijs 118

N

Arses Cumas obsidet. 151
Naues fulmine ictae. 40
Naues Alexandrinae, 16. 40. 42
Naues onerariae Puteolis. 15
Naui solutiles Agrippinae. 123
Nauium nomina apud antiquos. 131
Neapoli aegrotat Pöpeias. 40
Neapolitani Cumas vastant. 152. *reliquias inde asportant.* 154

Neptuno sacrificat Puteolis Caligula. 18
Neptunus tutelare Numen Puteolanorum. 20

Neronis libido ad Baias. 114
Neronis fossa ad Auernū. 103
Nero ad Pisonem Baijs diuertebat. 116
Nesls insula. 202
Nicaea mater S. Proculi martyris. 28
Nitrum Puteolanum. 55
Nobilitas Puteolana. 75
Nymphae Puteolanae. 26

O

Llae Vulcani. 57
Orci ostium multis in locis. 97
Ordo et Populus Puteolanus. 6
Orgia. 25
Orgyophantae. 25
Ossa Gigantum Puteolis. 41
Ossa belluarum Capre. 42
Ostrea Lucrina. 83
Ostrea Baiana. 118
Ostreorum inuentor Sergius Orata. 118

P

Palladius Dux Cumis obit 151
Palmarū folia Sibyllina. 167
Paufilippi descriptio, 191. villae, 192. vineae, 194. fructus 195
Paschalis Cioffus Puteol. 76
S. Patrobas Puteolanus Episcopus. 78
Patroni Puteolorum. 13
D. Paulus Apostolus Puteolis. 79
Pe. vi Damiani relatio. 57
Petronius Neronis familiaris Cumis obit. 175
Petrus Littera Neapolitanus. 154
Petrus Salius. 67
Petrus è Toletto hortos Puteolis aedificat, 47. subuenit Puteo-

Puteolanus, 71. Arcem Baijs erigit. 113	ab Alphonso Rege, 71 inui- suntur ab omnibus genti- bus. 205	Sergius Neapolitanus Dux 69 Seruiliij Vacij villa. 186
Pharus Puteolana. 43	Puteoli, instaurantur, 69 ca- strum spoliatur, 70. à quo aedicantur, 3. Emporium Cumanorum, 2. minor De- lus, 3. amplificantur ab Im- peratoribus Romanis, 4.	Seueri Imperatoris aedificia ad Baias. 116
Pharus Miseni. 85	Pufilla Roma, 4. Praesi- dium Romanorum, 13.	S. Seuerus Neapolitanus An- tistes. 60
Pharus Neapolitana. 43	solo aequantur. 70	Sibyllae antrum ad Auer- num, 103. eius antrum Cu- mis. 159
Pheronia familia Puteolis. 45	Puteolis, varia collegia, 28.	Sibyllae variae. 161
Phlaegra & Leucogei mon- tes. 49	offa Gigantum, 41. aliquot Sanctorum corpora, 78.	Sibyllarū vaticinia 163. 170. nomina & numerus, 161. Interpretes. 171
Pilae pontis in Danubio. 14	commoratur D. Paulus, 79	Sibyllae quo pacto praedixe- rint. 170
Pilae portus Puteolani. 15	templa dicata, 19. Glassia- rij. 32	Sibyllae Cumanae templum describitur. 160
Piscina Traconaria. 132		Sico Dux Beneuentanorum corpus B. Ianuarij abstu- lit. 63
Piscina mirabilis. 133		Silua Gallinaria. 14
Pistorum corpus Puteolis. 28.		S. Sotius Diaconus Miseni. 37
Plinius Misensis classis prae- fetus. 130		eius translatio. 136
Poeni fatidici. 166		Suauiorū corpus Puteolis. 28
Popeius Neapoli aegrotat. 40		Subselliorum ordo in Thea- tro. 36
Pompetus Puteolis. 20		Sulphur & lixiuium, 53. ad dentium dolorem, 52. eius cultura, 52. in Vulcani Fo- ro, 51. in ardetibus locis, 65
Pons Caligulae Puteolis. 17		Sulphureae aquae vis. 52
Populus et ordo Puteolanus. 6		Sulphurei mōtes in Islāda. 65
Porta Herculea Puteolis. 4		Sulphureum oleum. 53
Portus Pauo in Neside insu- la. 203		Stadium quid. 36
Portus Puteolanus. 14		Stephanus Episcopus Neapo- litanus. 136
Portus Agrippae. 128		
Portus Iulius. 84		
Praefectura Puteolana. 13		
S. Proculus Puteolanus, mar- tyr. 37		
S. Proculus Patronus Puteo- lanorum. 78		
Puteolanae urbis nomina. 1		
Puteolanorum Comitium, 73.		
Respublica, 5. Arena, 14.		
Religio, 21. colores, 4. pro- digia, 41. ignes, 63 Marty- res, 79. Episcopi, 80. alu- men, 53. aer, 73. Colonia 3.		
municipium, 10. Colonia militaris, 12. Praefectu- ra, 12. ludi Pij. 5		
Puteolani sedantur à Sylla, 12.		
ad Fidem conuertuntur à m. tyribus, 38. in sua sunt libertate, 13. inuaduntur à Ioanne Magistro Mili- tum Neap. 70. à Gotthis, & Vandalis, 68. obsidentur		

Tbesau.

<i>Thesaurorum inuentores.</i> 66.	<i>Turcae Puteolos expugnant.</i> 71	<i>Virgilius an Magus.</i> 188
106		<i>Virgilij sepulcrum.</i> 196
<i>Tiberius obiit in villa Luculli.</i> 134	V	<i>Vulcaniae insulae.</i> 49
<i>Tiberij bullae aureae Baijs.</i> 121	<i>Andali Puteolos perdidērunt.</i> 69	<i>Vulcani Fori descriptio,</i> 51.
<i>Tiro Ciceronis libertus.</i> 47	<i>Vasa Cumana.</i> 174	<i>chimica,</i> 52. <i>aquae, et ignes,</i>
<i>Totilas Cumas in deditiōem recipit,</i> 69. <i>Thesauros Cumis reponit.</i> 151	<i>Veneris templum Baijs.</i> 117	<i>55. Chalcantum,</i> 54. <i>Dæmones,</i> 56. <i>ollae,</i> 57. <i>martyrium S. Ianuarij.</i> 59
<i>Traconaria crypta.</i> 133	<i>Viae Puteolanae restitutae à Seuero & Antonino.</i> 4	<i>Vulturnum Colonia.</i> 11
<i>Traianae pilae ad Danubiū.</i> 15	<i>Via Herculea.</i> 86	X
<i>Tripergulis Xenodochium.</i> 86	<i>Villae Baianae,</i> 115. <i>Misena-</i> 134. <i>Pausilypanae,</i> 192	<i>X Enocrita Cumas à tyrannide liberat,</i> 146.
	<i>Serulij Vaciae.</i> 185	<i>in Cereris sacerdotem eligi-</i>
	<i>Vipera Genius Balsami.</i> 24	<i>tur.</i> <i>ibidem.</i>



Errata corrigito.

Pag. 3. in marg. Puteolus. Puteolos. pag. 5. vers. 12. plenè. planè. 6. 34. trans-
 latum. translatus. 7. 10. Respublicae. Reipublicae. 21. 11. adyti. adyta.
 32. 24. cuius homini. cuius homini. 33. 24. Praetores praeibant. Praetoribus.
 37. 19. Diocletiani Maximini. Diocletiani & Maximiani. 39. 8. Maximino. Ma-
 ximiano. 44. 6. alicui ex Amazonum. alicui Amazonum. 45. 10. fimbrias. fim-
 briae. 73. 3. legimusq. Apuliae vel prouinciae. Legimusq. vel prouinciae.
 79. 9. quibus quicquid Paulo. qui quicquid Paulo. 135. ver. vlt. *σώσας. σώσας.*
 136. 3. anno 289. anno 305. ibid. 30. Cummae Ecclesiae. Cumanae Ecclesiae.
 137. 3. Antemium subdiaconorum. Antemium subdiaconum. 138. 16. Chalciden-
 ses aedificatum. à Chalcidensibus aedificatum. 156. 2. Paguros. Pagurus.
 146. 2. flagrant. *scagrant.* 136. 9. describit Eugipius. describit Ioannes Dia-
 conus apud Surium. 16. 2. sequutae. sequutur. 37. 24. Festum Diaconos, De-
 siderium Lectorem. Festum diaconos & Desiderium Lectorem, Beneuentanos.
 38. 15. infedilate. infidelitate. 46. 9. Putolis. Puteolis. 53. 24. Ioannem Mor-
 milem. Ioannē Camillum Mormilem. 58. 15. pracruta. praerupta. 64. 1488. 1458
 69. Eugipius. Ioannes Diaconus in translatione S. Sofij apud Surium. 81. 5. inter
 alios Episcopos. inter alios Theologos. 57. 1. est monitus. monuit. 109. 14. lequi-
 ro. requiro. 111. 32. Hu. Hic.



PVTEOLANA HISTORIA
AIVLIO CAESARE CAPACIO NEAP.
CONSCRIPTA.



PVTEOLANAE VRBIS NOMINA.

Cap. I.



APPELLARVNT hanc Urbem Puteo-
lam Seruius, Puteolas Franciscus Petrar-
cha, Putiolium Galenus, Dicarchum San-
nazarius,

*Puteola
Puteo'ae
Putiolium
Dicarchum*

— *Dicarchi littora Pagros,*
Dicarcham Lucilius apud Festum,

Dicarcha

Inde Dicarcham populos Delonq. minorem,

Dicarchidem Petronius, Urbem Dicarchaeam Silius Itali-
cus,

*Dicarchis
Vrbs Dicar-
chaea.*

Putioli

cus, Sinus Dicarchaeos Staius, Putiolos antiquus lapis apud Marcellum Muscettolam Neapoli

I M P. C A E S A R I

I E R O P O L I T A N I

P E R Y T E N S E S

QVI. PVTIOLIS. CONSISTVNT.

Dicaeopolis

Putioli

Dicaearchia

Dicaea

Lib. de Vrbe.

Dicaeopolim ait Suidas appellari urbem in Thracia. Alteram deinde eiusdem nominis commemorat, quam & Puteolos dicit, a Dicaeo Neptuni vel Herculis filio sic dictam. Putiolos, Dicaearchiam, & Dicaeam Stephanus; *Δικαίρχεια πόλις Ἰταλίας ταύτην δὲ φασὶ κεκληῖσθαι Ποτιόλους, ἐν ᾗ τὸ σιμπόσιον ὁ Ἡρωδιανὸς ἔγραψε. πότια δὲ, τὰ φρέατα καλοῦσι Ῥωμαῖοι; Dicaearchia Vrbs Italiae. Hanc dicunt appellari Potiolos, in qua Conuiuium scripsit Herodianus. Quae nunc Graeci phreata, Latini puteos appellant.* Sed cum in dictione *Δίκαια*, multa dixisset, tandem ait, *ἢ αὐτὴ δὲ κεκληῖθην Δικαίρχεια, καὶ Ποτιόλοι; Haec eadem appellatur Dicaearchia, & Potioli.* Poetae secundam & tertiam syllabam cōtrahunt, si mauis elidunt secundam, & Dicarchiam, pro Dicarcheam efferunt, nam Dicaearchia propriè appellabatur. Quidam Dicaearcheam scribunt, quidam vero, Dicaearchaeam propter *ei* Graecum.

Putioli.

Lib. 5.

Puteolis unde.

Strabo vetus nomen fuisse Dicaearchiam scribit, Puteolos nouum, quandò sub Annibale nomen inditum à puteis, quos ad hauriendas aquas effoderant vel ab aquarum putore, quod totus ille sinus sulphure, igne, aquis calidis scatet. Hinc Varro, *A puteis* (inquit) *quod sint circa eum locum aquae frigidae & calidae multae. Nisi à putore potius, quòd putidus sit odoribus saepè ex sulphure & alumine. Extra oppida à puteis Puticulae, quòd ibi in puteis obruebantur homines. Nisi potius, ut Aelius scribit, Puticulae, quòd putrescebant ibi cadauera proiecta. qui locus publicus ultra Aesquilias.*

Puticulae.

Puteoli Emporium Cumanorum.

Subdidit Strabo, Dicaearchiam Cumanorum fuisse Emporium, in supercilio montis conditum, *ἐπὶ ντίον Κυμαίων*, quae vox, Nauale, & Emporium significat. Praeter Strabonem ea vtitur Thucidides. Fuisse autem celebre Emporium, idem innuit;

inhuit; ἢ δὲ πόλις ἑμπορείον γεγένηται μέγιστον. Et Festus affirmat; *Minorem Delon Puteolos esse dixerunt quòd Delos aliquādo maximum Emporium fuerit totius orbis terrarum, cui successit postea Puteolanum.* Cicero ad Atticum; *Qui potui non videre, cū per Emporium Puteolanū iter facerem?* Id in littore maris fuisset, officinarum aedificia facile ostendunt. Loffredus, maritimas eas habitationes ad delicias comparandas & piscinas immittendas arbitratus est. Puteolorum longitudinem Ptolemaeus partium x x i x. cum deunce, latitudinem L i. metitur.

Aedificatio.

Indè à Cumanis aedificatum oppidum existimarunt. Stephanus à Samijs affirmat, Ποτίολοι, πόλις Τυρρηνίας, κτίσμα Σαμίων, ἢ τις καὶ Δικαιάρχεια; *Puteoli, urbs Italiae, condita à Samijs, quae ciuitas & Dicaearchia dicitur.* Et in dictione Δικαία; Ionum Coloniam facit, ἐστὶ καὶ ἑτέρα ἐν τῇ Τυρρηνικῇ κώλπτῃ Ἰώνων ἀπεικος; *Est & alia in mari Tyrrbeno, Ionum Colonia.* Pausanias bis meminit, primum in Messenijs; ὅπου γε καὶ ἐφ' ἡμῶν ἐν Δικαρχείᾳ τῇ Τυρρηνῶν ἐξεύρηται ὕδωρ σφοῖσι θερμὸν, οὕτω δὲ τι ὅξυ ὥστε τὸ μόλυβδον (διεξήσει γὰρ διὰ μόλυβδον ῥέον) ἔτεσι κατέτηξεν οὐ πολλοῖς; *Cum aetate nostra ad Puteolos, quod & Tyrrheni maris accolarum oppidum, Dicaearchia Graecis dictum, aqua extiterit tam acuto calore efferuescens, ut intra paucos annos, plumbeos per quos fuit tubulos resolverit.* Deindè in Arcadicis; πρὸ Δικαρχείας δὲ τῆς Τυρσηνῶν ὕδωρ τε ἐν θαλάσῃ ζέον, καὶ νῆσος δι' αὐτὸ ἐστὶ χειροποίητος, ὥς μηδὲ τοῦτο τὸ ὕδωρ ἀγρὸν εἶναι, ἀλλὰ σφοῖσι θερμὰ λουτρά; *Et iuxta Dicaearchiam Tyrrhenorum, calidae efferuescunt in mari aquae, ubi de industria exstructa est insula in Balneis aquarum calidarum, nec eius muneris ullus est usus.* Eius tamen conditoris mentionem nullam facit. Idq. idcirco scripti, quòd temerè aliqui conditorem apud Pausaniam reperiri affirmāt. Placeat aliquibus Suidae opinio, qui Dicaeum *Dicaeus.* Neptuni, vel Herculis filiū asserit, si nouam maluerint sequi opinionem.

Amplificatio.

Oppidum à Romanis Imperatoribus auctum, ornatum,

*Ad Att. lib. 5.
ep. 2.*

multisq. locis restitutum, parvam deinde Romam appellarunt. Cicero aduenientium multitudini nomen tribuit; *Habuiamus in Cumano quasi pusillam Romam*. Hinc templa, portus, academiae, theatra, statuae, thermae, & alia memorabilia, quorum parua quae supersunt vestigia, animi Romani magnitudinem, Imperatorum in ijs locis cōsuetudines, maximarum rerum memoriam praefecerunt. Murorum, & portae Herculeae praecclare hoc Epigramma meminit,

Muris & porta Herculeae.

D.D. N. N. IMP. CAES. TRAIANVS. P.P. INVICTVS.
AVG. MVRI. CVRIONEN. AEDIFICIIS. PROVI-
DENTIA SVA INSTITVTIS. ATQ. ERECTIS. POR-
TAM. PVTEOLANORVM HERCVLEAM. VOCAR-
I. IVSSIT.

Lib. 2. Silu.

Muris idcirco & turribus celebre fuit oppidum. Papinius turres & moenia Puteolana commemorat,

Omnia Chalcidicas turres obuersa salutant.

Et,

quae te genuere Dicarche

Moenia

*Viae Puteo-
lanae.*

Barbarorum saepius in Italiam illuione collapsa, & solo aequata. Vias quoq; stratas à Septimio Seuero, atque Antonino legimus quem libētissimè ibi fuisse versatum, praeter lapides, nummorum copia quae quotidie reperitur ostendit.

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS. PER-
TINAX AVG. ARABIC. ADIABEN. PARTHICVS.
MAXIMVS TRIB. POT. IX. IMP. XII. COS. II. PP.
PROCOS. ET. IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTO-
NINVS. PIVS. AVG. TRIB. POT. III. PROCOS.
E... VIAS. RESTITVIT. A PVTEOLIS

Et à Vespasiano,

IMP. CAESARI. VESPAS. AVG. PONT. MAX. TRIB.
POT. III. IMP. IIX. PP. COS. III. DES. II. SEN.
PVTEOL. QVOD. VIAS. VRBIS. NEGLIGENTIA
SVPER. TEMP. CORRVPTAS. IMPENSA. SVA.
RESTITVIT.

Ex quibus oppidi amplitudinem nō tantum supercilio contineri

tinere cognoscimus, cum in mediterraneis nobilissima aedificiorum monumenta cernantur, & ad viam Campanam plurima supersint. Atque templa, theatra, parietinas illas ad quatuor millia passuum fortasse circumplectebantur. Nescio an Dicaearchaei Cumanos felicitate superauerint. Aliquo id tempore factum non vereor, cum scilicet Romani Imperatores Puteolanas delicias Cumanis praeposuerint.

DE PUTEOLANORVM REPUBLICA.

Cap. II.



DICAEARCHIAE Antiquam Rempub-
blicam, eadem ratione qua Neapolitana,
fuisse institutam plenè affirmo, quando à
Graecis duxit originem, quod lapides cõ-
firmant, & explicat Hebo quem Puteolani
venerabantur (licet Neapolitanorũ Deum,
illum fuisse scribat Macrobius) ad Theseum quoque fortasse
originem referentes. Quapropter, Cumanos, Puteolanos,
Neapolitanos, eosdem genere, relligione, lingua fuisse non
dubitarem. Hoc tamen sibi maximè Puteolani tribuerunt,
quòd eorum Rempublicam iustae administrationis titulo in-
signitam, Dicaearchiam (id enim Graeca vox sonat) appel-
pellarunt. Suidas; Δικαίᾱρχεια δὲ ἡ δίκαιος ἄρχουσα Apud Staiua-
nos Neapoli, lapidis extat fragmentum, quod cum Pios lu-
dos commemoret, qui Puteolis peragebantur, indè Neapo-
lim translatum patet. Ibi Consulis atque Demarchi mentio
facta est, vt ordinem & populum Puteolanum dignoscamus,

*Respublica à
Graecis.*

*Hebo Puteo-
lanorum quo
que Deus.*

*Iusta Respu-
Puteol.*

Σ.... ΥΠΑΤΟΣ. ΔΗΜΑΡΧΗΣΑΣ. ΑΓΩΝΑΣ. ΠΙΟΤΣ
ΝΟΜΟΥ..... ΡΩΜΑΙΚΩΝ ΔΙΚΑΙΩΝ. ΚΑ.....
ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΗΣΑΣ. ΤΟ ΒΑΛΑΝΕΙΟΝ. ΑΝΕΘ....
ΕΠΕΣΚΕΤΑΣΕΝ. ΟΚΤ.....

Fieri potuit, vt Colonia iam deducta Archontes deficerint,
&

Consules &
Demarchus
Ludi Pij.
Augustales.

& Consules cum Demarcho administrarint. Ludos praeterea habemus Puteolanos, qui Pij dicebantur, ad Antonini Pij honorem instituti, qui cum Augustalibus Neapolitanis fuere percelebres. sic enim in antiquo lapide Romae in aedibus Cardinalis Farnesij, inter caetera,

ΝΙΚΗΣΑΣ ΑΓΩΝΑΣ ΕΤΣΕΒΕΙΑ ΕΝ ΠΟΤΙΟΛΟΙΣ

ΣΕΒΑΣΤΑ ΕΝ ΝΕΑΠΟΛΙ *Pios ludos Puteolis, Augustales*

Neapoli. Quod si Antonini aetate eorum Magistratum nomina supererant, existimandum est adhuc reliquam Puteolanorum fuisse Rempublicam, ne Coloniae seruitute Reipub. amitteret rationem, quod etiā contigit Neapolitanis. Splendidissimi Puteolani ordinis memoria extat in lapide in monte Coelio sub Pio iv. reperto,

Ordo splendidi-
ssimus Pu-
teol.

L. ARADIO. VALERIO. PROCVLO. V. C. AVGVRI.
PONTIFICI. MAIORI. XV. VIR. SAC. FACIVND.
PONTIFI. FLAVIALI. PRAETORI. TVTEL. LEGA-
TO. PROPRAET. PROV. NVMDIAE. PERAEQVA-
TORI. CENSVS. PROVINCIAE. GALLECIAE. PRAE-
SIDI. PROV. BYZACENAE. CONSVLARI. PROV.
EVROPAE. ET. THRACIAE. CONSVLARI. PROV.
SICILIAE. VICE. SACRA. IVDICANTI. EIDEMQ.
IVDICIO. SACRO. PER. PROVINCIAS. PRO.
CONSVLAR. ET. NVMDIAM. BYZACIVM. AC.
TRIPOLIM. ITEMQ. AC. MAVRETANIAM. SITI-
FENSEM. ET. CAESARIENSEM. PERFVNCTO.
OFFICIO. PRAEFECT. PRAETORIO. COMITI.
ITERVM. ORDINIS. PRIMI. INTRA. PALATIVM.
PRAEFECT. VRBI. VICESACRA. ITERVM. IVDI-
CANTI. CONSVLI. ORDINARIO. VIRI. PERFE-
CTISSIMI. ET. PRINCIPALES. ET. SPLENDI-
DISSIMVS. ORDO. ET. POPVLVS. PVTEOLANO-
RVM. PATRONO. DIGNISSIMO. CVRANTE. SE-
PTIMIO. CARITONE. V. P.

Qui lapis Romam Puteolis fortasse translatus. In eo quicquid Romani Imperij dignitas possidebat, quicquid in notitia vtriusque Imperij proponitur, elucet. licet declinantis Imperij

Unable to display this page

*Duumuiri
Puteol.*

De Decurion.

Simillimus hic lapis Graeco lapidi Neapolitano, in quo eius ciuitatis Respublica, Colonia etiam deducta conspici-
tur, licet pro Duumuiris, quorum hic mentio facta est, ibi Archontes exponantur. Et Duumuiro ex Decurionibus eligebantur, ijque vel Capitales & Iurisdicundi, praecipuae auctoritatis erant, quamobrem Paulus Iurisconsultus; *Is qui non sit Decurio, Duumuiratu, vel alijs honoribus ciuilibus fungi non potest;* vel Aedilitij, qui sacras aedes dedicabant, omnisque generis expiationes quae ad auertendas Deorum indignationes pertinebant. Ambo in lapide explicantur. Alter quoque lapis Puteolanus Neapoli est in sacra Turri D. Gregorij, in quo in eadem Curia Anniana decernit Senatus de statua ponenda Octauio Agathae. Quem in Corporibus Puteolanis descripsimus.

Curia.

Basilicis.

Quibus in lapidibus Curias, & Basilicas animaduertamus. Erant siquidem Curiae, maiores Iudicum consessus. Aristophanes appellauit *Φροντισήρια*. A Philosophorum curiosa contemplatione, ad Forum transtulit. Sed aliquando aliae à Senatu erant Curiae, easque cum Basilicis coniunctas aedificauerunt. Ideoque in alio lapide.

IN. CVRIA. BASILICAE. ANNIAN.

Formula Senatusconsulti.

Ab Annio aedificata, veluti Hostilia, quam primus Hostilius Rex aedificauit. Vndecim descripsit in Vrbe Roma P. Victor. Ibi priuata iudicia quasi sub tecto cognoscebantur. Caeterae enim quaestiones in Fori area nuda referebantur. Et antiqui morem Atticum repraesentarunt, qui sub dio causas perorabant. Romae Basilica Porcia, à Censorio Catone, praeclara fuit; & Fulvia inter coeteras, quam Paulus Consul magnificentissime extruxit. Quemadmodum haec Puteolis Anniana, ab Annio Modesto, vel Numisiano aedificata. Notae illae. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. *Quod de ea re fieri placuit, de ea re ita censuerunt,* formula erat Senatusconsulti. Neque verendum Basilicas, Aerario, Carceri, Curiae coniunctas quibus cum & Chalcidica extruebantur, pecuniae

Unable to display this page

Puteoli, Linternum, Vulturnum. Tunc verò Romanorum Colonia deducta est. Hac de causa Frontinus, *Puteolos Coloniam Augustam Augustus deduxit. Iter uno latere populo debetur p. xxx. ager eius in iugeribus veteranis, & Tribunis Legionarijs est assignatus.* Sic etiā nominat Plinius lib. 3. c. 5. *Dein Puteoli Colonia Dicaearchia, dicti Magnam tamen affert Cornelius dubitationem lib. 14. Annalium cū scribit, In Italia vetus oppidū Puteoli; ius Coloniae & cognomentum à Nerone adipiscuntur.* Cur igitur Liuius, & Velleius à Puteolis Coloniam esse adeptam dicunt, iam tū à Scipionis aetate? Ecquid ea significant?

AEDIL. COLON. PVTEONORVM;

&

GENIO. COLONIAE. PVTEOLANORVM;

atque,

AB. COLONIA. DEDVCTA. AN. XC

N. FVFDIO. N. F. M. PVLLIO. DVOVIRI

P. RVTILIO. C. M. MANLIO. COSS.

OPERVM. LEX. II.

item,

Q. FILIVS. L. TILIVS. RVFVS. ET. Q. ACRIE-
LVS. Q. FILIVS. CELER. PRÆTOR. DVVMVIRI
LANARIAS. ET. QVAE. IN. HIS. SVNT. SVA PE-
QVNNIA. FECIT. VT. EX. EO. VECTIGALI. QVO-
TANNIS. COLONIS. MVLSVM. ET. CRVSTVM
NATALE. CAESARIS. AVGVSTI. DARETVR.

praeterea,

PRO. SALVTE. ET. VICTORIA. AVGVSTORVM
DEO. MAGNO. GENIO. COLONIAE. PVTEOLA-
NORVM. ET. PATRIAE. SVAEQ. AVRELIVS
HERMODION. SEVIR. AVGVST. ET. CVRATOR
EORVM. EXTRVXIT. ET. DONVM. DAT

L. D. D. D.

& Neapoli,

COLONI. ET. INCOLAE. PVTEOLANI
OB. MVNIFICENTIAM. EIVS.

Et quāvis Cicero Oratione pro M. Coelio, Municipium faciat, *Nam quod est obiectum municipibus adolescentem non esse probatum tuis, nemini unquam presenti Putcolani maiorem honorem habuerunt*; ex Frontino tamen collegimus, recētiori aevo ab Augusto fuisse Coloniam deductam. Quapropter cum Agellio dicerem, saepe commutari solere Colonias in Municipia, & contrā. Lipsius ait, Cornelij verbis eam vim esse, vt velit vniuersum oppidum incolasq. (plures autem inquilini eius loci ob commercia & mare) praeter eos qui restabant ex Colonis Augustaeis Colonico iure donatos. Colonia deindē perdurauit. Nam cū classem Misenensem Claudius Fauentinus Cēturio Vespasiano imperante ad defectionē duxisset, subdidit Tacitus, *A quibus Municipia Coloniaeq. impulsae, praecipuo Puteolanorum in Vespasianum studio, contrā Capua Vitellio fida, municipalem aemulationem bellis ciuilibus miscebant*. In quibus etiam Municipij & Coloniae mixtionem consideramus. Aliqui Cornelij verba sic emendant; *Nam cū prius Colonia Augusta, tūc etiam Augusta Neroniana dici coepit*; vt nouum ius & cognomētum tūc etiam adepta fuerit. Quatuor praetera numerantur Coloniarum genera; Romani iuris, Latinae, Augustales, Veteranae. Colonia Romani iuris, aut habebat Romanos ciues tantū deductos; aut cum ijs alios mixtos habitatores; aut quamuis barbari habitarent, legibus tamen Romanis erāt obnoxij. Primi Coloniarum generis eae sunt, quas Liuius bello Punico secundo enumerat. Secundi, cuius meminit idem lib. 9. Dec. 1. *Soza ad Samnites defecerat interfecit colonis Romanis. Quō cum prior Romanus exercitus ad vlciscendam ciuium necem, recuperandamq. Coloniam magnis itineribus peruenisset &c.* Tertij generis multas Claudius constituit, cū quaedam ciuitas ius Latij à Romanis, vel Augusto, vel Senatu acquisiuisset. Et communi Caesarum vocabulo, Augustae fuerunt appellatae. Quarti generis illae habebantur, quae à Veteranis erant habitatae, & ab Imperatoribus Romanis deductae, & militibus emeritis concessae, quales multas Augustum & Antonium

Putcoli Municipium.

Lib. 16. c. 13

In Tacitum.

Hist. lib. 3.

Coloniarū genera quatuor.

Coloniae Augustae.

Capua
Nuceria.

deduxisse victis Bruto & Cassio, Appianus auctor est. Eius ordinis Agrippina apud Rhenum, in Italia Capua atq; Nuceria. Eius itaq; Coloniae deductae aliqui primum annum M. Porcio Catoni, & L. Flacco Coss. tribuunt, Urbis, 568. Augustus cum bellis civilibus victor Ianum clausisset, distributis Veteranis militibus premijs, inter duodeviginti Colonias, Puteolos Coloniam militarem fecit. Tum post Neronem, Flavia eadem Colonia appellata est sub Vespasiano, Antonino, & coeteris, Puteolis,

..... CAESARI..... NINO..... THICI
NEPOTI. DIVI..... NINO. AVG. PIO
COLONIA. FLAVIA..... VPER COETERA
..... VS. PILARVM. VIG. V.
..... QVO..... ET. MVNITIO.....

Puteoli, Sa-
lernum, Bu-
xentum.

Puteolani nō
erant Roma-
ni ciues.

Praefectura
Puteoli.

Decuriones

Erat haec inscriptio in arcu marmoreo qui Antonino Pio erectus fuerat, quod restaurando operi subuenisset. In ingressu Molis erat, gratitudinis monumentum. Scribit enim Plutarchus in Sylla, eum decem antè mortem diebus Dicaearchenfium seditionem composuisse, legesq. ijs praescripsisse. Antè Augusti tempora, inter alia Coloniarum genera cum Liuiο fuisse affirmabimus. Qui habuisse eam Coloniam priuata aliqua ciuitatis iura, vt coeterae Coloniae, non autem publica, ostēdit scribens, Colonos qui Puteolos, Salernum, & Buxentum adscripti nomina dederant, cum ob id se pro ciuibz ferrent, Senatū iudicasse non esse ciues Romanos. Quamobrem nomine ciues Romani erant, re verò ipsa coloni tantum Puteolani. Idemq. confirmat P. Scipionem Africanum, & P. Aelium Paetum Censores, portoria rerum venalium Capuae & Puteolis fruenda locasse. Cicero Municipium appellat. Pompeius, Praefecturā. Antea tamen Praefectura fuerat, ac eò mittebantur Magistratus ad ius dicendū à populo. Ciceronis aetate Municipali tantum iure fruebantur, neque Praefecti mittebantur, sed ipsi suos Magistratus habebant. Deductae tamen Coloniae, praefuere Decuriones

riones. *Puteolos vero* (inquit Cicero 2. Orat. contra Rullum) *Colonijs prae-*
qui nunc in sua potestate sunt, suo iure libertateq. utuntur, totos erant.
novo populo atque aduentitijs copijs occupabunt. At libertatē do- *Puteolani li-*
 nati fuerant, quòd Emporium illud esset populi Romani, & *bertate dona-*
 quotannis eò Quaestor mittebatur, cui obtigerat Aquaria *ti.*
 prouincia. A Symmacho qui Theodosij aetate vixit, Muni-
 cipes Puteolani appellantur; *Ne ciuitas quae lauacris publicis*
digna, & calcem reparandis moenibus subministrat, defectu subito
exhausta succumberet V. M. & Dec. mod. Puteolanis municipibus *Puteolanorū*
derogatos, Terracinenis vsui deputauit. At si Municipia Pa- *patroni Bruti.*
 tronos sibi deligebant, Cicero Antonium accusat idcirco
 Puteolanos infestantem, quòd C. Cassium & Brutos sibi pa-
 tronos adoptassent. Et anno 1602. dùm Franciscus Castrus
 Neapolitani Regni Vicarius esset effectus à Philippo III. di-
 ffecto piscatoris cuiusdam domus pariete, fundamenta pa-
 tefacta essent, marmoreum sepulcrum repertum est ad quod
 cum Dominico Fontana Regio Architecto descendens, hoc
 reperi inscriptum epigramma,

C. N. A S I N I O
 POLLIONIS. ET. AGRIPPAE. NEPOTI
 PVTEOLANI. PATRONO. PVBLICE.

Meliore conditione esse Colonias quàm Municipia dixit *Lib. 16. c. 13.*
 Agellius. Adrianus verò in oratione pro Italicensibus, mi-
 rari se dicit, quòd quaedam antiqua Municipia, in ius Co-
 loniarum mutari gestierint. Praefectarum iure deuinctos *Quo genere*
 legimus Puteolos, atque eo genere Praefecturae, in quam *Praefectura-*
 Praefecti mitterentur à populo creati, in quo Cumae, Ca- *rum Puteoli.*
 filinum, Vulturnum, Linternum, Acerrae, Sueffula, Atel-
 lae & Calatia etiam erant annumeratae.

PRAESIDIUM PUTEOLANVM.

Cap. IV.

Puteoli praesidio muniti.



ONSVEVERE Romani in ripis Limitaneis Castella, munitionesq. aedificare, quae Praesidaria munimenta appellabatur, Praesidia Liuius dicit, idemq. lib. 4. Dec. 3. Puteolos ita constitutos scribit cum de Annibale loquitur; *Peruasato agro Cumano usque ad Miseni promontorium, Puteolos repente agmen conuertit, ad opprimendum praesidium Romanorum. Sex millia hominum erant, & locus munimento quoque, non natura modò tutus.* Coepit illud Emporium ob bella quae in Italia Annibal gerebat frequentari. Idcirco Q. Fabius ex Senatus auctoritate illud communijt, praesidiumq. statuit, & tunc mutato Dicaearchiae nomine, Puteoli vocari coepti sunt. A praesidiarijs militibus, classem in Gallinaria filua aedificatam scribunt. Praesidiariorum numerus Puteolanae vrbs ostendit magnitudinem.

*Gallinaria
Silua.*

PORTVS, PILAE, PVLVIS

Puteolanus.

Cap. V.



Porti in Danubi.

ORTVS ille Puteolanus negotium saepe studiosis faceffuit. Aliquando pontem potius existimarunt, propterea quòd Pilis constructus est, quas ponti Traianus in Danubio concinnauit. Bellum in Daciam moturus is Imperator, pōtem in eo flumine constrauerat, octauum ferè orbis miraculum. Pilae ex Dionis descriptione xx. fuerant ex lapide quadrato, singulae altitudine pedum L. latitudine pedum Lx. quae inter se aberāt
inter

interuallo pedum c lxx. Alias ostendi Pilas in montibus Transilvaniae à Turcis ostendi aiunt, dum Nissam ad Danubium iter faciunt, & Augerius Gislenus Orator ad Solimanum missus, in itinerario quod scripsit, se vidisse testatur; Traianas quoque appellant. Idq. magis affirmabant quòd portum Pilae, quae maris aestus facile recipiunt, efficere non posse videntur. Strabonis tamen verba, Pilas illas portum efficere testantur, cum ait; ἡ δὲ πόλις ἐμπορίου γαγνήται μέγιστον χειροποίητους ἔχουσα ὄρμους (de Puteolis loquitur) διὰ τῶν ἐνφυτάν τῆς ἀμμου; *Vrbs ea Emporium facta est maximum, & habet stationes nauium manu constructas, natura arenae eam commoditatem praestantis.* Deinde; Προβάλλουσι χόματα εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ κολλοῦσι τὰς ἀναπλεκτένας ἡῖονας ὥστ' ἀσφαλῶς ἐνορμίζεσθαι τὰς μεγίστας ἑλκάδας; *Pilas in mare producunt, sinuantq. littoris partes maximè apertas, ità ut subduci tutò possint maximè onerariae naues.*

Lib. 5.

Quo nihil apertius ad Pilarum opus, portusq. cōmoditatem exprimi potest. Lapidea in Pilis retinacula, quid ad pōtem? Quod si non magnarum nauium stationes videri possent, ut Strabo loquitur; ea aetate magnae naues videbantur quae ibi tutò anchoras iacere potuissent. Idem auctor lib. 3. scribit ex Turditania maximas onerarias naues ad Dicaearchiā & Ostiam Romanorum nauale appellere solitas, quae numero Africas aequarent. Eas vero Pilas littus sinuasse, neque rectà ad Baias, sed ad Tripergulas potius tendentes, substructas fuisse, praeter haec Strabonis verba, superior lapis dilucidè declarat, in quo Pilas xxv. fuisse legimus, P I L A R V M. V I G. V. qui numerus Baias pertingere nullo modo poterat. Confirmat idem Paulus Diaconus, qui de Caij ponte loquens, ait, *In spacio trium millium quod in sinu Puteolana intra molem iacet, duplici ordine naues contexens, & quae sequuntur.* Intrà molem, cūm dicit, Pilas intelligit; ut portum Puteolanum vetustissimum esse sciamus, & cum ipsa Dicaearchia constitutum. Confirmat quoque Liuius qui scribit anno ab V. C. 575. M. Iunio Bruto, & A. Mālio Volsone Coss. in portu Puteolano duas naues de cœlo tactas fuisse.

Pilarum retinacula.

Onerariorum nauium stationes
Pilae Puteolanae quò diuertebant.

Portus Puteolanus vetustissimus.

Seneca

Epist. 58.

Seneca sic describit; *Hodie naues Alexandrinae nobis apparuerunt quae praemitti solent, & nunciare sequutae classis aduentum Tabellarias vocant. Gratus illarum Campaniae aspectus est. Omnis in Pilis Puteolanorum turba consistit; & ex ipso genere velorum Alexandrinas (quamuis in magna turba nauium) intelligit. In ea mole hic lapis appositus erat, qui mari obrutus anno tandē 1577. à Puteolanis maximo labore erutus, in quo Antonino opus restitutum tribuitur,*

IMP. CAESARI. DIVI. ADRIANI. FIL
DIVI. TRAIANI. PARTHICI. NEPOS
DIVI. NERVAE. PRONEPOS. T. AELIVS
ADRIANVS. ANTONINVS. AVG. PIVS
PONT. MAX. TRIB. POT. II. COS. II. DESI
GNAT. III. P. P. OPVS. PILARVM. VI
MARIS. CONLAPSUM. A. DIVO. PATRE
SVO. PROMISSVM. RESTITVIT.

Quod si portum veteres illi humanarum rerum peritissimi apertum ferè aedificauerint, maximae prudentiae tribuendum est, quandò id quod inter Pilas vacui relictum est, accessu maris atq; recessu, coeno & arenae aggeribus portum purgat, atque ita expeditior est ad retinendas naues.

*Puteolanae
arenae solidi-
tas.*

Huiusmodi in mari solidissimè iactum aedificium, arenae Puteolanae (quam Dicaearchaeam appellat Sidonius) magnam gloriam attulit. Eius enim natura calci maximè respondet, validamq. conglutinationem atque concretionem suscipit. Quo factum est vt ferrugineam arenam plerisque in locis Puteolanā appellent. In Puteolano tractu in mare deiecta aedificia cernimus, quae sunt scopulis solidiora. Vt non ab re dixerit Plinius, *Puluerem appellatā in Puteolanis collibus apponi maris fluctibus, merumq. protinus fieri lapidem unum inexpugnabilem undis, & fortiolem quotidie, utiq; si Cumano miscatur coementis.* Et Pontanus lib. de Magnificentia, Cōstantinum Augustum, quo Moles Byzantina diuturnior esset, è littore Baiano Puteolanum puluerem nauibus comportandum iussisse scribit, nunquam pecuniae parcentem vt animi

*Cap 2.
Pulvis Pu-
teolanum By-
zantium dedux-
it.*

patefa-

patefaceret maiestatem. Ignem eius bonitatis esse efficien-
tem scribit Vitruuius. *Est (inquit) genus pulueris quod ef-
ficat naturaliter res admirandas. Nasitur in regionibus Baianis,
& in agris Municipiorum quae sunt circa Vesuium montem, quod
ammixtum cum calce, & caemento, non modo coeteris aedificijs
praestat firmitatem, sed etiam moles quae construuntur in mari sub
aqua solidescunt. Hoc autem fieri hac ratione videtur, quod sub his
montibus & terra feruentes sunt fontes crebri, qui non essent si
non in imo haberent aut de sulphure, aut alumine, aut bitumine,
ardentes maximos ignes. Igitur penitus ignis ac flammae va-
por per interuenia permanans & ardens efficit leuem eam
terrâ; & ibi qui nascitur tophus exugens est, & sine liquo-
re. Ergo cum tres res consimili ratione ignis vehementia
formatae vnâ cohaerescant, & celeriter humore duratae, so-
lidentur; neque eas fluctus, neque vis aquae potest dissol-
uere. Qua de re sic apud Sidonium Apollinarem,*

——— itur ad aequor
*Molibus, & veteres tellus noua contrahit vndas,
Namque Dicarcheae translatus puluis arenae
Intratis solidatur aquis: durataq; massa
Sustinet aduectos peregrino in gurgite campos.*

Carm. 2.

DE CALIGVLAE PONTE.

Cap. VI.



Caligula vt Baiarum mediū interuallum,
& Puteolanas moles, trium millium & sex
centorum ferè passuum ponte coniungeret
(sic loquitur Suetonius) cōtraxit vndique
onerarias naues, & duplici ordine ad an-
choras collocauit, superiecto aggere ter-
reno à directo in Appiae viae formam. Indè commeauit
vltro citròq. biduò continenti. Primo die phalerato equo,
insignis quoque Querna (Quercica, Quercia, ab alijs
C dicitur)

Incessus Caligulae per pontem.

dicitur) corona & gladio, aureaq. chlamyde. Postridiè quadrigario habitu, curriculo biuigi famosorum equorum, praeseferens Darium ex Parthorum obsidibus, comitante Praetorianarum agmine, & in effedo cohorte amicorum. Idq. ab eo factum narrant, vt Persarum Regem Xersem imitaretur, qui ex Asia in Graeciam ponte transmisit, & angustiores Hellespontum contabulauit. Extāt Philippi Macedonis Epigrammatarij versus. Vel vt Germanos & Anglos, quibus cum bellum erat gesturus, magnorum operum laboribus perterreret. Vel, cū sciret à Thrasillo mathematico dictum fuisse Tiberio, tunc Caium in Imperio successurum, cū equo mare Baianum praeternauigaret, voluisse ostendere Thrasillum vera dixisse. Dio in Claudio hæc scribit;

Γαίος ὃ ἐκεῖνος μὴ τῆς πομπῆς οὐδὲν προετίμησεν (οὐδὲ γὰρ μέγα τι ἐνόμιζεν εἶ) ἰππῶ δὲ ἡπείρου θαλάσσει) διὰ ὃ τῆς θαλάσσης τρόπον τινὰ δι' ἰππῶσαι γεφυρώσας τὸ μεταξὺ ἧς τε Πουτεόλων καὶ ἧς Βαύλων. τὸ γὰρ χάριον τοῦτο κατ' ἀντιπέραν τῆς πόλεως ὄρι, διέχον αὐτῆς σταδίους ἑξ καὶ εἴκοσι; *Verum Caius rem haud magnā esse censens si equo per continentem terram inueheretur, ouationem eam spreuit, ac per mare equo vebi intendit ponte iniecto ei maris parti quae est inter Puteolos & Baulos. Is locus è regione urbis situs, & distant inter se Bauli & Puteoli millibus passuum tribus & quadrante.* Addidit praeterea antequàm pontem ingrederetur sacrificasse Neptuno, & Φθόνῳ, Liuori scilicet, ne qua opprimeretur inuidia; deindè in urbē quasi in hostes irruisse celeriter, tunica auro intexto amictum. Xiphilinus scribit in eo ponte diuersoria, quaedam ità aedificata, vt in ea aqua bibendi causa deduceretur; ἀλλὰ καὶ ἀναπαύλαι ἐν αὐτῇ καὶ καταλύσεις, ὥστε καὶ ὕδωρ αὐτὰς πότιμον ἐπὶ ῥύτον ἔχειν. Barbarus homo deindè nemini parcens, omnes ex ponte ludibrij causa deturbauit, eosq. qui aliquo pacto se continebant, deiiciēdos quoque iussit; in rebus enim etiam iocosis nefarij homines à crudelitate nequeunt abstinere. Iosephus de hoc ponte loquens ait, Caligulam aquae etiam elementum sibi subijcere voluisse, eaq. gessisse in fluctibus, quae terrae natura sustinet. Dūm verò trecentis stadijs continen-

Inuidiae sacrificauit Caius.

Lib. 19. c. 1.

tinen-

inentē abesse dicunt interpretes, hallucinati sunt non animaduertentes *σάδιους τριάκοντα*. Iosephus accedit ad Suetonium. Dionis tamen verba *xxiv*. tantum stadia interesse declarant,

PUTEOLANORVM ANTIQVA

Religio.

Cap. VII.



H nummis Puteolanis **HEBONIS** religionem elicimus, habent enim ex altera facie Apollinis caput, ex altera Hebonem (quem Campaniae communem fuisse in Neapolitana historia ostendimus) cum inscriptione, *ΠΟΥΤΕΟΛΙΤΩΝ*. Puteolani quoq; Graeci ad Theseum (vt diximus) originem referunt. Hebo idem qui & Mithra, aut Serapis. Taurina forma barbatus is Deus est, nam Hieropolitani barbatus Solem depingebant. Graecis Bacchapaea, apud Macrobiū, idemq; Liber, Apollo, & Dionysius.

AVGVSTI. In media vrbe quae nūc reliqua est, templum opere Corinthio pulcherrimum videmus, quod nec tempus edax, nec hostium furor, nec flammaram iniuria perdere potuerūt. Augusto Caesari dicatum. Idq; sub Iouis nomine factum praedicant. Haec ibi leguntur,

Templū Augusto dicatū.

L. CALPVRNIO. L. F. TEMPLVM

AVGVSTO. CVM. ORNAMENTIS. D. D.

Ex quadratis marmoreis lapidibus ita cōpactum, vt vno tantum saxo erectum censeatur. Atque huiusmodi omnes conditum existimarent, nisi tympani dexter angulus decedens, rimas aliquot aperuerit. Architecti nomen adscriptū,

L. COCCEIVS. L.

C. POSTVMI. L.

AVCTVS. ARCHITECTVS

C 2

Qui

*Templorum
dedicatio.*

Qui Ioui dicatum arbitrati sunt, Seruio assentiuntur, qui Ioui vrbium arces fuisse dicatas scribit; & scopulum illum arcem Puteolanam iudicarunt. At quo pacto templa dedicarentur, de eiusdem templo Romae dicato, hæc scribit Dio de Caio; ἐκ δὲ τούτου τὸ ἡρώων τὸ τοῦ Αυγούστου ὡσιώσε τιμὴ ἐπινίκιον πολλὴ ἐνδύς, καὶ οἷτε ἐν ἡμέραις τοῖς παῖδες ὅστις καὶ ἀμφιθαλεῖς ἦσαν, μετὰ παρθένων ὁμοίων τὸν ὕμνον ἦσαν, καὶ ἡ βουλή σὺν ταῖς γαμεταῖς σφῶν, ὅτε δὴ ἡμος εἰσιάθῃ θέαυτε παντοδηπαι ἐγένοντο, τὰ τε γὰρ τῆς μουσικῆς ἐχόμενα ἴσηχθη &c. Deinde Caius habitu triumphali templum Augusti dedicauit, nobilissimis pueris aetate florentibus, cum virginibus eiusdem ordinis hymnum canentibus, epulumq. Senatoribus & eorum vxoribus ac populo datum, variaq. Spectacula edita, & omnis generis musica introducta.

*Neptunus
tutelare Nu-
men Puteol.*

NEPTUNI templi ruinae adhuc vigent cuius Cicero meminit Acad. 4. *O praeclarum prospectum. Puteolos videmus, at familiarem nostrum Avianum, fortasse in porticu Neptuni ambulante non videmus;* Et Appianus lib. 1. de bello Ciuili, tutelare loci Numen vocat, cui sacra fecit Caesar contra Antonium profecturus; ὁ δὲ Καῖσαρ ἐκ Διχαρχείας, θύων ἀμασπένδων ἀπὸ τῆς ναυαρχίδος νεῶν ἐς τὸ πέλαγος ἀνέμοις εὐδαίσις, καὶ ἀσφαλθείη Ποσειδῶνι, καὶ ἀκύμονι θαλάσῃ; Caesar Puteolos cum prius è Praetoria porrectis extis in mare litasset, Tutelari Neptuno, & tranquillo mari, &c.

*Adrianus Pu-
teolis sepeli-
tur.*

Hoc templum idem aliqui esse aiunt, quod Adriano sepulcri loco dicatum innuit Spartianus his verbis; *Post haec Adrianus Baias petijt, Antonino Romae ad imperandum relicto. ubi cum nihil proficeret, accersito Antonino, in conspectu eius apud ipsas Baias periijt die vi. Iduum Iuliarum* (maior sexagenario addidit Aurelius Cassiodorus in Chronicis morbo inter cutis aquae Ruffino, & Torquato Coss.) *inuisusq. oibus sepultus est in villa Ciceroniana Puteolis.* Paulò post; *Templum denique ei pro sepulcro apud Puteolos constituit, & Quinquennale certamen, & Flamines, & Sodales, & multa alia quae ad honorem quasi Numinis pertinerent.* Repertae ibi Adriani Statuae, corona laurea, & paludamentis, & chlamyde ornatae. In hortis Sangrijs, tres sunt columnae stantes, quas ad id templum pertinere sum arbitratus. Lapis praeterea,

MAGNO INVICTO. IMP. CAES.
 D. TRAIANI. PARTHICI. F. DIVI. NERVÆ
 NEPOTI. TRAIANO. ADRIANO. AVG.
 PON. MAX. TR. POT. V. COS. III. OPTIMO
 MAXIMOQ. PRINCIPI. P. DECRETO. D.
 POPVL. . . . CONSENSV.

Eius templi amplitudinem saepè admiratus sum cū Claudio Blandicio viro acri ingenio & curioso, quocum ibi esse maluissemus, quàm in hortis Hesperidum. Arcus, fornices, thecae in quibus statuas collocabant hederæ corymbis occupatae, subterranea circum loca, atque adyti faciebant animos vt effodiendo aliquid curiosum reperiremus.

INVIDIAE. Nam Caligula ^{Φθόνῳ} sacrificauit. Hanc Deam Graeci masculam effingunt. Et Lucianus in Dialogo ^{Διαβολῆς}, virum non dū planè ex morbo conualescentem proponit. Ab Ouidio domum, & formam requiras.

Invidia, mascula.

SERAPIDIS, & HONORIS religionem coluisse Puteolanos, iisdemq. aedem statuisse, nobilissimus ille lapis declarat, quem Puteolis Neapolim transtulerat Spataphorus, eoq. mortuo in Arpinam villam transtulit Alphonsus Sancius, Grottulanorum Marchio, quem tamen in Puteolanorum gratiam adscribam, vt sciant quantum iacturae in rebus antiquis fecerint. Cognoscēt veterem illam religionem, legem operis faciundi tanta Romanae linguae puritate, quantam vix in coeteris lapidibus inuenient; tūm praeterea eorum Magistratus, & Magistratum splendorem.

Serapis honor.

A. COLONIA. DEDVCTA. AN. XC.
 N. FVFIDIO. N. F. M. PVLLIO. DVOVIR
 P. RVTILIO. CN. MANLIO. COS. OPERVM. LEX. II.
 LEX. PARIETI. FACIVNDO. IN. AREA. QVAE. EST
 ANTE. AEDEM. SERAPI. TRANS. VIAM
 QVI. REDERIT. PRAEDES. DATO. PRAEDIAQ. SVBSIGNATO
 DVVMVIRVM. ARBITRATV.

Lex parietis faciundo.

IN.

IN. AREA. TRANS. VIAM. PARIES. QVI. EST.
 PROPTER. VIAM. IN. EO. PARIETE. MEDIO
 OSTIEI. LVMEN. APERITO. LATVM. P. VI. ALTVM
 P. VII. FACITO. EX. EO. PARIETE. ANTAS. DVAS
 AD. MARE. VORSVM. PROIICITO. LONGAS. P. II.
 CRASSAS. P. INSVPER. ID. LIMEN. ROBVTVM
 LONG. P. VIII. LATVM. P. I. ALTVM. P. S. IMPO-
 NITO. INSVPER. ID. ET. ANTAS. MVTVLOS. RO-
 BVSTOS. II. CRASSOS. S. ALTOS. P. I. PROII-
 CITO. EXTRA. PARIETEM. IN. VTRAMQVE
 PARTEM. P. IV. INSVPER. SIMAS. PICTAS. FER-
 RO. OFFIGITO. INSVPER. MVTVLOS. TRABI-
 CVLAS. ABIEGNIAS. II. CRASSAS. QVOQVE
 VERSVS. IN. PONTO.

In secunda facie.

FERRO. FIGITO. INASSERATO. ASSERIBVS
 ABIEGNEIS. SECTILIBVS. CRASSEIS. QVOQVE
 VERSVS. DISPONITO. INPLVS. OPERCVLA
 ABIEGNIEA. IMPONITO. EX. TIGNO. PEDARIO
 FACITO. ANTEPAGMENTA. ABIEGNIEA. LATA
 CRASSA. S. CYMATIVM. IMPONITO. FER-
 RO. PLANO. FIGITO. PORTVLA. TEGITO. TE-
 GVLARVM. ORDINIBVS. SENEIS. QVOQVE. VER-
 SVS. TEGVLAS. PRIMORES. OMNES. IN. ANTE-
 PAGMENTO. FERRO. FIGITO. MARGINEM
 IMPONITO. EISDEM. FORES. CLATRAS. II.
 CVM. POSTIBVS. AESCVLINEIS. FACITO. STA-
 TVITO. OCCLVDITO. DICATO. ITA. VTEI. AD
 AEDEM. HONORIS. FACTA. SVNT. EIDEM
 MACERIA. EXTREMA. PARIES. QVI. EST. EVM
 PARIETEM. CVM. MARGINE. ALTVM. FACITO
 P. X. EISDEM. OSTIVM. INTROITV. IN. AREA
 QVOD. NVNC. EST. ET. FENESTRAS. QVAE IN
 PARIETE. PROPTER. EAM. ARAM. SVNT. PA-
 RIETEM. OBSTRVITO. ET. PARIETI. QVI. NVNC
 EST. PROPTER. VIAM. MARGINEM. PERPE-

TVVM. IMPONITO. EOSQ. PARIETES. MARGI-
NESQ. OMNES. QVAE. LITA. NON. ERVNT. CALCE
HARENATO. LITA. POLITAQ. ET. CALCE. VDA
DEALBATA. RECTE. FACITO. QVOD. OPVS. STRV-
CTILE. FIET. IN. TERRA. CALCIS. RESTINCTA
PARIETEM. QVARTAM. INDITO. NIVE. MAIO-
REM. COEMENTA. STRVITO. QVAM. QVAE
COEMENTA. ARDA. PENDAT. P. XV. NIVE. AN-
GOLARIA. ALTIOREM. FACITO.

In tertia;

LOCVM. PVRV. PRO. EO. OPERE. REDDITO
EIDEM. SACELLA. ARAS. SIGNAQ. QVAE. IN
CAMPO. SVNT. QVAE. DEMONSTRATA. ERVNT
EA. OMNIA. TOLLITO. DEFERTO. COMPOSITO
STATVITOQ. VBEI. LOCVS. DEMONSTRATVS. ERIT
DVVMVIRVM. ARBITRATV. HOC. OPVS. OMNE
FACITO. DVOVIR. ET. DVOVIRATIVM. QVI. IN.
CONSILIO. ESSE. SOLENT. PVTEOLIS. DVM. NI-
MINVS. VIGINTI. ADSIENT. CVM. EA. RES
CONSVLETVR. QVOD. EORVM. VIGINTI. IVRATI
PROBAVERINT. PROBVM. ESTO. QVOD. II. IM-
PROBAVERINT. IMPROBVM. ESTO. DIES. OPE-
RIS. K. NOVEMB. PRIMEIS. DIES. PEQVN.
PARS. DIMIDIA. DABITVR. VBEI. PRAEDIA
SATIS. SVBSIGNATA. ERVNT. ALTERA. PARS
DIMIDIA. SOLVETVR. OPERE. EFFECTO. PRO-
BATOQ. C. BLOSIVS. Q. F. HS. ∞ D. IDEM. PRES.
Q. RVFICIVS. Q. F. CN. TETTEIVS. Q. F. C. CRA-
NIVS. C. F. TI. CRASSICIVS.

Quae ad parietem perducendum, quae ad calcem arenan-
dam, & quae cum calce vda dealbanda. Duouirates, vox Duouirates.
mihi noua. Sed Duumuirum auctoritas in sacris praecipue
rebus patefacta. Cōsiliij quoq; Puteolani depingitur imago,
in quo non minus viginti aderant, ad res decernendas. Lo-
cus purus, qui mortuis corporibus non esset funestatus. Et
in

in eam rem Decuriones incumbabant, ex quibus Duumviri eligebantur.

Genius Puteolanorum.

GENII. Genio Coloniae Puteolanos monumenta dicasse supra in Colonia lapis ostendit. Declarat item aerea tabella in mari à piscatoribus reperta quam Leonardus Vairus Episcopus Puteolanus ad me Neapolim misit.

GEN. COL. PVT. P. ACILIVS
HERMERON.

Lapis praeterea Cumanus;

AVGVSTO. SACRVM. ET. GENIO
CIVITATIS. PVTEOL.

*Genius cuiq;
loco tributus.*

*Genij Balsami
viperæ.*

*Genius hominum
tutela.*

Lectus Genialis.

Vniuscuiusque loci Deus Genius erat. DEO tutelae, idcirco in multis lapidibus legimus. Et Genio Coloniae, Cœturiae, Municipi, Horreorum, Exercitus, Conuentus, Lauacrorum, Theatri. Sosipolim patrium Eleorum Genium certis celebratū honoribus scribit Pausanias in Eliacis; qui in Bœoticis vipers quoque Balsami Genios existimatas ait, quas ibi occidi magna esset relligio. Hominibus item nascentibus numina dari credebāt. Idcirco hominum parentes vocat Aufustius, & hominum tutelae Plutarchus. Eosdemq. Apuleius asserit esse Daemones, & Lares. Censorinus, obseruatorem nobis datum esse Genium scribit. Et apud Suidam Philo Genios appellat animae facultates, eosq. tū salutare, tū exitiosos constituit. Hos Deos Medioxumos Latini daemones dixere, quippè minùs lucidae naturae quàm coelestes. Videbatur laetitiae & propagationis vel auctor, vel seruator Genius; quapropter, lectus GENIALIS, quòd Genius naturae Deus fingebatur, & in lectis generandis liberis datur opera. Tantumq. laetitiae & voluptatis continere videbatur, vt in Imperatorum nummis cuderetur, militari imagine, veste ad crura circumuoluta, dextera pateram porrigens quasi sacrificatura, & sinistra Amaltheae cornu amplectens cum inscriptione,

GEN.

GEN. P. R. Quòd si quis per Genium Principis peierasset, in eum fustibus animaduertebāt. Adeas Iuriconsultos. In Adriani, & Diocletiani extat numismate. Neapoli cum GENIO CAESARVM lapidem habemus.

BACCHI. Cuius numinis lapides Puteolani memoriam retinent.

Bacchus Puteolanorum.

LIBERO. PATRI. SACRVM

T. T. FLAVII. ELECTIANVS. ET. OLYMPIANVS
FIL. EIVS. SACERDOTES. ORGIOPHANTAE.

Orgia, sacra *μυσήρια*. Et si omnibus sacris nomen conveniat, Liberi tamen sacrificia dicuntur. Vtrumque testatur Seruius, qui ἀπὸ τῆς ὀργῆς, à furore, dicta esse affirmat. Apollonij Scholiastes lib. 5. παρὰ τὸ εἶργειν τοὺς ἀμύητους αὐτῶν, quòd prophani indè arceantur; vnde Catullus,

Orgia.

Orgia quae frustra cupiunt audire prophani.

Hanc vocem in Sannazario reprehēdit Scaligerus, quippe diuinis rebus non erat inferenda. *ὀργιασμός*, à Plutarcho, Sacrorum peractio dicitur. Sunt etiam apud Pollucem in Onomastico multa Sacerdotum epitheta; *θεομάντις*, *ὑποφήται*, *νεωκόροι*, *ζάκοροι*, *θύται*, *τελεταί*, *παναγεῖς*, *πυρφόροι*, *ὀργεῶνες*. *Ὀργεῶνες*, δὲ εἰσιν (inquit Harpocratio in Lexico x. Rhetorum) οἱ ἐπὶ τιμῇ θεῶν ἢ ἡρώων συνιόντες; coeteraq. huiusmedi. Hoc tamen extremum cum Orgiophantis convenit, qui cruda voratione litabant. Eusebius lib. 2. praep. Euang. *Διόνυσον μαινόμενον ὀργιάζουσι βάκχεϊς ὁμοφαγία τῷ ἱερομανίαν ἄγοντες*; *Sunt tandē Orgiophantas sacrorum mysteriorum Antistites.*

Sacerdotum Bacchi epitheta.

DIANA E. Eius statuam se vidisse Puteolis, testatus est Matthaeus Salernitanus quindecim cubitos in altitudinem erectam, alatam, leonem ad dexteram, ad sinistram pantheram habentem. Templum in loco, quem Pisaturum dicunt Puteolani, fuisse dicunt. Nec sine Diana Hebo, eaq. Artemis cum Apolline Sanatore; & plurimùm culta in Circo ob venationes. Ideòq. eius aedes Puteolis ad Amphitheatrum quoq; Circumq. extructa est. Et Dianae Scythicae

Diana Puteolanorum.

Hercules Puteolanorum. thicae inquit Cassiodorus.

HERCVLIS. lapis.

HERCVLI. GYLIO. INVICTO. SANCTO
SACR. VOTO. SVSCEPTO. L. CRASSVS
DE. SVO. F.

*Hercules Gylus.
Choerogyllus
lib. 4. de ling.
lat.*

Gylus Hercules dictus est, quòd Gylion pleriq; Graecorum leonem, vel suem dicunt. Isq. sic appellatus est ab ijs bestiis occisis. Choerogyllum, ait Suidas, Gylion significare, hoc est, porcum spinum. Sancti verò cognomen Sabinis. Varro; *Aelius Gallus* Διόσκουρον *Castorem* *Dionis filium*, *Dium Fidium* dicebat, & putabat hunc esse Sanctum ab *Sabina lingua*, & *Herculem à Graeca*. Nuper in aedibus Scipionis Loffredi, cuius ager qui circum est, antiquitatum monumentis scatet, lapis repertus in quo hæc leguntur,

SANCTISSIMO. DEO. PATRI
EX. VOTO. CONSVMMAVIT. IVLIVS
SECVNDVS. FAONIVS

Herculem intellige. Sic enim in alio lapide Cumis,

SANCTISSIMO. HERCVLI. INVICTO
DO LL. ARGYRIVS. LANARIVS
H S. P. D. D. DEDICAVIT. KAL. IVL
. SEX. VTVL. COSS.

Videtur profectò inter praecipuos tutelares Deos Puteolanos, Hercules, cum Herculeam portam Traianus Puteolis vocari iusserit.

Nymphae Puteolanae.

NYMPHARVM. Nympharum templum sub Domitiano commemorat Philostratus in vita Apollonij, narrans hunc Damidi, & Demetrio discipulis apparuisse extra Puteolos, de fontis natura, quod ad templum erat, disputantibus. Ex albo ait lapide extructum, & vaticinijs celebre. Aquam ibi perennem fuisse, quae nunquam extremas fontis partes excederet, & quae nunquam decrescere ex-
exhau-

exhausti vifa fuerit. Ad mare paucis ab hinc mensibus
perennis aquae scaturigo erupit. (nent,

IOVIS CVSTODIS. ex lapide item memoriã reti-

*Iuppiter cu-
stos Puteol.*

IOVI. CVSTODI. SACRVM

EX. INDVLGENTIA. DOMINORVM

SVCCESSVS. PVBLICVS. . . . SER. . . . AEDEM.

A Fulvio Vrsino Puteolis citatur tabula, in qua Iuppi-
ter optimus maximus.

IOVI. O. M. SACRVM

CVM. PORTICIBVS. A. SOLO. SVA. PEC. F.

Seruatore Iouem, Sospitatore etiam dixere. Memi-
nit Διὸς σωτῆρος in Corinthiacis Pausanias, eiusq. ad lacum
quendam aedem positam in Laconicis eximiam statuam
idem in Arcadicis describit quae ad sinistram Artemidis
Seruatricis quoque signum habebat. Hic Iuppiter ille est,
qui Πανσίλυπος quoque dicitur à Sophocle in Nauplio,

*Iuppiter So-
spitator.*

Ζεῦ πανσίλυπε

Καὶ Διὸς σωτηρίου σπονδὴ τρίτου κρατῆρος.

Iuppiter Pausilipe

*Iuppiter Pau-
silipus.*

Et Iouis Seruatoris libatio tertij poculi

Idq. in conuiujs. Primum enim poculum coelestiū erat,
alterum Heroum, tertiū Iouis Seruatoris. Legimus tamen
primum poculū Seruatori sacrum apud Athenaeum, omi-
nis boni gratia; vt meminerint mortales se vinum (tempe-
ratum tamen) bibentes seruatum iri.

COLLEGIA, ET CORPORA

Puteolana.

Cap. VIII.



ERVMPVBLICARVM partem Corpo-
ra, & Collegia constituebant; Σωματα Graeci
dixere; & huiusmodi Athenaeus habet ex
Moschione qui de naui Hyeronis Syracusani
commentaria scripsit, κατήγαγε διολύγων σωμάτων, *paucorum*

Lib. 5. cap. 8.

D 2 *corporum*

Varia Corpora in Rep.

corporum adiumento deduxit. Infimum igitur hominum genus erat seruilibus operibus occupatū. Numerat inter Corpora Notitia vtriusq; Imperij Architectos, Statuarios, Lecticarios vel Arcarios, Clauicarios, Quadratarios opus vermiculatū facientes, Deauratores, Albinos, Argētarios, Barbaricarios qui ex auro (vt inquit Donatus) coloratis filis exprimebant hominum & animalium imagines, Aerarios, Fusores, Diatrerarios margaritas perforantes, vel calices torno polientes, Figulos, Vitriarios, Pelliones aliosq; id genus. Constantinus in rescripto ad Maximum recenset.

Lib. 5. ep. 13.

Addidit Vrinarios, Lupanarios, Caligarios Lampridius. Alios etiam numerat Symmachus, *Nouerat horum Corporum ministerio tantae urbis onera sustineri. Hic lanati pecoris inuektor est, ille ad victum populi cogit armentum, hos suillae carnis tenet functio, pars lauacris ligna vrenda comportat. Sunt qui fabriles manus augustis operibus accommodant, per alios fortuita arcen- tur incendia.* Iam Caupones & obsequia pistoria frugis & olei

Lib. 1. ep. 28.

Pistores Puteolis.

baiulos, multosq; id genus patriae seruientes. Suprà appellauit Corporatos negociatores membra aeternae urbis. Apud eundem, corpus Collectariorum, quibus arca vinaria statutum precium ministrabat. Pistores Puteolis reperimus,

ILLE. EGO. SVM. PROCVLVS. TOTVS. QVI. NATVS. HONORI
AVT. DICO. VT. SIT. NONOS. QVEM. MITTI. INESSE. NEGAS
COLLEGIVM. PISTORVM
PATRONO. PRAESTANTISSIMO.

Suauij & Confectorij.

Ibidemq; Collegium Suauiorum, & Confecturariorum. Accedunt Dendrophori quos Puteolanus lapis, in turri sacra D. Gregorij Neapoli positus, patefacit;

C. DOMITIO. DEXTRO. II. L. VALERIO. MESSA-
LA. THRASIA. PRISCO. COSS. VI. ID. IAN. IN
CVRIA. BASILICAE. AVG. ANNIAN. SCRIBEN-
DO. ADFVER. A. AQVILIVS. PROCVLVS. M. CAE-
CILIVS. PVBLICIVS. FABIANVS. P. HORDEONI-
CVS. SECVND. VALENTIN. T. CAESIVS. BASSIA-

NVS. QVOD. POSTVLANTE. CN. . . . DE. FORMA
 INSCRIPT. DANDA. STATVAE. QVAM. DENDRO-
 PHORI. OCTAVIO. AGATHAE P. G. N. STATVE-
 RVNT. CN. PAPIRIVS. SAGITTA. ET. P. AELIVS
 EVDAEMON. II. VIR. RETVLERVNT. Q. D. E. R.
 F. P. D. E. R. I. C. PLACVIT. VNIVERSIS. HONE-
 STISSIMI. CORPORIS. DENDROPHOR. INSCRI-
 PTIONEM. QVAE. AD. HONOBEM . . . DARET. . .

In quo eadē Puteolana Respublica apparet in Curia Ba-
 filicae Annian. quae suprà de Annio Modesto proposita est,
 & ferè eadem Senatus auctoritas videtur intercessisse, in
 qua Duumviri retulerunt. Confirmat hunc lapidem, alius
 quem in fundo quodā Episcopus Puteolanus inuenit pau-
 cis ab hinc diebus, & quem in lucem edere conatus sum vt
 satis Antiquarijs faciam, locupletem enim huius Collegij
 testem, curiosi viri libenter amplectentur. Is quidem est,
 & ex vtraque facie eadem continet verba, quod rarissimè
 in alijs lapidibus contingit.

EX. S. C. DENDROPHORI. CREATI. QVI. SVNT
 SVB. CVRA. XV. VIR. ST. CCVV.
 PATRON. L. AMPIVS. STEPHANVS. SAC. M. DEI. Q. Q.
 DEND. DEDICATIONI. HVIVS. PANEM. VINVM
 ET. SPORTVLAS. DEDIT.

C. VALERIVS. PICENTIVS	T. IVLIVS. CALLINIVS
C. IVLIVS. HERCVLANVS	Q. CVRTIVS. SCEMANVS
LONGINIVS. IVSTINVS	L. OPPIVS. LESIGINVS
A. FIRMIVS. POLYBIVS	M. HERENNIVS. ZERAX
C. LISIVS. CRESCENTIVS	C. LISIVS. PVUDENTINVS
L. DECIMVS. FELINVS	A. FIRMIVS. FELICIANVS
C. CVPIENNIVS. PRIMITIVS	M. BABBIVS. SODALIS
T. MINICIVS. SABINVS	L. MODESTIVS. HILARVS
M. IVNNIVS. AGRIPPINVS	L. ORFIVS. MAXIMINVS
A. CAMELIVS. PROTOCENSIS	C. IVLIVS. GAVDITVRVS
A. AGNANIVS. FELICISSIMVS	L. LOLLIVS. VIATOR
C. LITRIVS. FORTVNATVS	C. IVLIVS. COGITATVS

C. IULIUS. CERIAUS	C. ANTONIUS. LUCILIANUS
C. HERENNIVS SABINVS	C. MAGIVS CRESCENTIANVS
L. ORFIVS. MAXIMVS	C. CARTILIVS. IRENICVS
N. POLLIVS. PRIMVS. SEN.	N. POLLIVS. PRIMVS. IVN.
C. LITRIVS. MAIOR	C. TITILIVS. PRIVATVS
L. DECIMVS. FAVSTVS	L. MARCIVS. MARVLEIVS
C. IULIVS. SEVERVS	Q. GRANIVS. GEMELLVS
C. NAVTIVS. PINTROPVS	C. CLODIVS. MERCVRIVS
N. VIBIVS. SPERATVS	N. VIBIVS. SVPER
L. PACIVS. MAVIMINVS	C. TVSCENIVS. COMMVNIO
Q. GRANIVS. GEMELLVS	M. STENNIVS. MARCELLINVS
M. GRANIVS. MARCIANVS	M. VALERIVS. EUTICHES
Q. SERVIVS. NICETIANVS	C. RVFVS SELEVVS
C. LISIVS. SECVNDINVS	M. MALLONVS. SEVERIANVS
C. PVBLILIVS. GENIALIS	L. GENTIVS. NICO
L. CONNIVS. CASTRENSIS	L. PEDANIVS FAVSTINVS
Q. GRANIVS. CHORINTVS	NAEVIVS. POLLIVS. PRISCVS
TI. IVLIVS. ATAINOPO	IULIVS. DECIVS. FELICIVS
Q. CRANIVS. IANVARIVS	M. SAGARIVS. SEDATVS
C. TVRRANIVS. PRISCVS	C. TVSCENTVS. PRIMITIVS
L. PLAVTIVS. VICTOR	M. SAMIANTVS. CRESCENS
A. FIRMIVS. SEVERVS	P. CARSICIVS. FLORIANVS
C. FVLLONIVS. TERTIVS	C. STATRIVS. FELICISSIMVS
T. FLAVIVS ARCHILAVS	T. MINICIVS. VERATINVS
M. VALERIVS. SYNTROPVS	M. PLAVTIVS. HILARVS
M. VALERIVS. IANVARIVS	M. SAMILARIS. FORTVNIVS
N. LVCIVS. CYRICIVS	C. IVNIVS. MERCVRIVS
C. IVLIVS. CARITO	C. IVLIVS. CRESCENS
M. CVRIVS. NIANVS	C. AVRVCVLEIVS. . . .
C. MARTIVS. VITALIS	L. FLAVIVS. CELER
AERELIVS. LVCIVS	SAMIARIVS. SILVANVS
C. IVLIVS. DIANENSIS.	

DEDICATA. VII. ID. OCT. III. ET. SEMEL. COS.

Nihil ex tota antiquitate de hoc Corpore elicere potueram, nisi Symmachus dixisset inter Corporatos, partem vrenda lauacris ligna comportare solitam. Quamvis enim
optimè

optimè sciamus fabricandis armis constituta esse ab Imperatoribus loca veluti in oriente Damascus vbi fabrica Scutaria, scutis cōficiendis; Clibanaria Antiochiae armis quae cataphractos protegerent; Scutaria, & Armamentaria Aedessae in Mesopotamia; & Hastaria Irenopoli Ciliciae vrbe, quae omnia in Ponto, Asia, Thracia, Illirico etiam commemorantur, & singulis hisce fabricis seruos ad opus illud publicum damnatos, eosq. aliquandò mercede fuissē conductos, & inter hos Carbonarios, & Dendrophoros qui ligna fabricis suppeditabant, de quibus Valentinianus, *qui publicorum seruorum fabricis seu alijs operibus publicis deputati domibus se alienis, & priuatarum ancillarum cōsortijs adiunxerint, conditioni pristinae, laboriq. restituantur.* Corpus tamen illud ad lauacrorum ministeria in his regionibus Puteolanis & Baianis refero, cū praecipuè filuas ad eam rem Imperatores dedicauerint, & Puteolanis annonae pars fuerit derogata & Terracinenfibus addicta, quoniam lauacris publicis ligna, & calcem moenibus reparandis subministrabant Iuliano moderante Rempub. & Lupo Consulari iure Campaniae praesidente.

Loca fabricis armorum destinata.

Syluae dedicatae.

In multis praeterea ciuitatibus Dendrophori, Fabri, Centonarij, Tignarij coniunguntur, sic enim Romae,

Dendrophori & alia corpora.

FAVSTINAE. AVGVSTAE

MAGISTRI. QVINQVENNALES. COLLEGI. CORP.
FABRVM. FERRAR. TIGNAR. DENDROPHOROR
ET. CENTON. LVST. XXVII. T. OVINIVS. T. F.
THERMVS. L. FVSCIVS. Q. FILIVS. SABIN. FLA-
VIVS. ANTIDIIVS. SEX. F. EROS. C. FVLVIVS
C. F. NIGRVS. Q. CASSIVS. P. F. ALBINVS. MA-
GISTER. ET. FLAMEN. QVINQVEN. L. CHRISCIVS
L. F. VENVSTVS. SEX. MAETIVS. SEX. F. VERVS

DD. KAL. IANVAR

C. MANLIO. TORQVATO. ET. CORNELIO
MESSALINO. COSS.

Eadem

Eadem in hoc lapide cernitur dedicatio Dendrophorum, idemq. magisterium Quinquennialitatis. Et in alio Romano lapide Ti. Claudius Chresimus ob Quinquennialitatis honorem Collegio Dendrophororū quibus ex S. C. coire licebat argenti pondo x. & HS decem millia reddidit, quae diuisa sunt populo per gradus Nummio Albino & Fulvio Aemiliano Coss. Sacerdotium quoque obijcitur, ait enim *Magister & Flamen*. Saffinae in Flaminia inscriptio est qua collegis Dendrophorum, Fabrum, & Cētonariorum ex testamento HS senamillia dantur, oleumq. singulis annis diuiditur die natali testatoris. Ad Lirim amnem ex Manutio Q. Iunio Seueriano veterano Quaestori Reip. Ausculanorum, patrono collegij Centonariorum & Dendrophororū statua à liberta dedicatur, & datur coena Decurionibus quibus & populo pecunia quoque diuiditur. Vbique vero eius Collegij patroni viri primarij reperiuntur. Qui verò arbitrati sunt hoc Collegium ad illud referri quod ex Iouis famulatu ab Hercule fuit institutū qui apud Eleos Pelopi ad scrobem quandam sacra fecit, ad quam annui magistratus nigros arietes mactabant, vt scribit Pausanias in Eliacis, meminerint eum Sacerdotem cui negotium committebatur *Ξιλέα* appellatum esse quoniam certo precio ligna ad sacrorum vsum vel publicè ciuitatibus, vel priuatim cuius homini suppeditabat, & ligna ex alba populo erant. Quid igitur *Ξιλέα* cum *Δενδρόφοροι*?

In Orthogr.

Sacerdotium Iouis.

Ligna populea.

Collegia Equitum.

Classiarj Puteol.

Corpora tamen & Collegia non semper ex seruis fuisse, ostendunt equitum Corpora quae in Neapolitana historia dilucidauius, ex quibus EQVI PVBLICI & HONORATI EQVO PVBLICO, dicebantur. Collegia item Augustalium in antiquorum monumentis plurimis legimus. Quinquennales verò, Aediles Colonici.

CLASSIARII. Aliud Puteolanum corpus. Nauales hi focij erant, quos Nero ex remigibus iustos milites fecerat, vt ait Suetonius. Ex eorum corpore quidam vltro citroq.

citròq. Ostia Romam pedibus commeabant, vt idem auctor in Vespasiano; *Classiarios qui ab Ostia à Puteolis Romam pedibus per vices commeant, petentes constitui aliquid sibi calciarij nomine; quasi parum esset sine responso abegisse, iussit posthac excalceatos cursitare, & ex eo ità cursitant.* Calciarium dixit Suetonius, vt Clauarium Tacitus lib. 3. Hist. pro donatiuo quòd vel in calceos, vel in caligares clauos impenditur. Sic Camelatia, vel Camelaria apud Iuriscòsultos, quae pro alendis Camelis dabātur. Cursus erat publicus ab Imperatoribus constitutus, qui à Persis antea inuentus, Angaria, dictus est. Et Plutarchus ait veredos & rhedas singulis circiter L. miliarijs ad currendum certis locis dispositos, vt iter diei conficerent, atque ità res celeriter nunciarentur. Reliqua Collegia in hoc habentur lapide,

*In Galba
cap. 12.*

Calciarium.

Clauarium.

Angaria.

IMP. CAESARI. DIVI. TRAIANI. PARTHICI
NEPOTI. D. NERVAE. PRONEP. AELIO. ADRIANO.
ANTONINO. AVG. PIO. PONT. MAX. TRIB.
POT. V. IMP. II. PP. CONSTITVTORI. SACRI
CERTAMNIS. SELASTICI. SOCII. POPVLARES
LICTORES. DENVNCIATORES. PVTEOLANI.

Gladiatorios ludos iam intermissos, Antoninus Augustus concessit L. Egnatio Inuento, vt in lapide recitato in Colonia Puteolana. Denunciatores commemorantur à P. Victore in 1 v. Regione Romana. Sacrum tamen certamen, Graecum dicitur à Suetonio; omnia scilicet scenica, musica, gymnica. Aliqui gladiatorios ludos excipiunt. Lictores Coloniae & Municipia habebant qui Praetores praeibant. Virgas ferebant, ideoq. *παλδοῦχοι*, veluti vbique hoc tempore Magistratibus publicis debentur.

Denunciatores.

Lictores.

THEATRVM, AMPHITHEATRVM.

Circus Puteolani. Cap. I X.



THEATRI, Amphitheatri, & Circi ornamenta praeclaras vrbes maximè exornant. Summo hac de causa studio in ijs aedificandis antiquitas elaborauit. Nulla veterum animos ad eas moles impèsa perterrit. Marmora ex abditissimis venis eruta, maxima cum industria terra mariq. comportata.

Lib. 4. cap. 3.

*Post Forum,
Theatrum.*

Ichnographiarum species, picturarum venustas, statuarum certauit numerus & amplitudo. Constituto siquidem Foro (vt inquit Vitruuius) locum Deorum immortalium diebus festis, ludorumq. spectaculis in Theatro eligebant, vt quaedam ibi celebrarentur actiones quae paci & ocio essent oblectamento. Poetarum numeri, Oratorum thecnæ, Musicorum harmoniae. Nescio an Romana Theatra à Graecis, & quo tempore in hoc differant. At saltem in vtrisque Theatris mimos varias effigiasse ad voluptatem personas, non ignoramus. Ad armorum vero & bellorum studia quaedam referebantur in Amphitheatro. Addo cursus & saltus in Circo; atque ita ingenij & corporis vires robur & virtutem compararent. Quamobrem, ad ingenium Theatrum; ad cruorem & feras Amphitheatrum; ad cursus & Pyrrichias atque Olympionicas Circus. In Theatro, actores, histrionesq. In Amphitheatro Gladiatores, Retiarij, Sequutores, Bestiarij, coeteriq. In Circo Decursiones, quas Equirias vocant Varro & Ausonius, & Quadrigariorum factiones, atque ij ludi quos Cicero describit; *Iam ludi publici quoniam sunt Cauea, Circoq. diuisi, sint corporum certationes cursu & pugilatione, luctatione curriculiq. equorum usque ad certam victoriam Circo constitutae.* Stadium quoq; dicitur, & Campus, & Hippodromus & θέατρον ἰππηνάσις. Trium vero horum lo-

Lib. 2. de leg.

corum

corum Tertullianus describit actiones Circi furentis, Caueae faeuientis, & Scenae lasciuientis. Alibi Scenicos, Xysticos, Arenarios in ijs ludētes appellat. Et Imperator lege VIII. Circēsia, Theatralia, & Arenarum spectacula dicit. Arena vero sternebatur ne sanguinis copia foedarentur.

In Circo primo loca venationes editae sunt cū à Tarquinio Prisco inter Auentinum & Palatinum colles (vel à Romulo vt ait Ciprianus) fuit aedificatus. Quare Amphitheatralem postea Circi venationem appellarunt, qua inter se aut homines, aut ferae pugnabāt. Quae duo pugnarum genera Martem & Dianam dixit Tertullianus, & de Diana Amphitheatri praefide disertè loquitur Cassiodorus. Venationem Circi Dianae sacram omnes affirmant. Claudianus,

Circus ubi primò aedificatus.

Lib. de spect. lib. 5. cap. 42.

Amphitheatrali faueat Latonia pompae.

Sed post Amphitheatri vsum rarò in Circo venationes fuere. Ipsumq. à Dione *Κυρνεϊστήριον* est appellatum, propterea quòd ad venationes potius quā ad munera gladiatoria fuit extructum. In Theatris etiam venationes editae leguntur, vt in Scauri Theatro Aedilitate sua, & in Theatro Pópeij, quod ea de causa Amphitheatrum (& si mendosè legi, pro Theatro scribat Lipsius) appellare Plinius non dubitauit, qui haec quoque scribit, *Sed vt in Theatro venationes sabindè editae sint, primus tamen omnium Iulius Caesar Asia & Aegypto domitis Theatrum venationi extruxit, quod Amphitheatrum appellatum, quia sedes absque scena in ambitum haberet.* Quae verba planissimè Theatrum ab Amphiteatro secernunt, quipè in Theatro scena erat, Proscenium, Orchestra. In Amphiteatro area tantum (quam Circum etiam aliqui appellarunt, hinc Circi & Amphitheatri confusio) & spectatorum sedes, *ἐκ τοῦ περὶ πανταχόθεν ἐδ' ἅς ἀνευ οὐκ ἔχον προσέσπινθαι.* Et duplex Theatrum Amphiteatrum constitutebat. Cassiodorus; *Hoc Titi potentia principalis diuitiarum profuso flumine cogitauit aedificiū fieri, vnde caput urbium potuisset, cū Theatrum, quod est hemisphaerium, Graecè dicatur Amphitheatrū quasi*

Lib 36. c. 15.

Lib. 5. ep. 42.

in unū iuncta visoria, rectè constat esse nominatum. Qui speciem eius arena concludens, ut concurrentibus aptum daretur spaciū, & spectantes omnia facilius viderent, dum quaedam prolixitas uniuersa collegerat. Quae tamen vberius à doctissimis Lipsio & Bulengero de Amphitheatro & Circo sunt explicata.

Labyrinthus.

Lib. 5. ep. 4.

In Aug. c. 43.

Ordo subselliorum in Theatris.

Magnam Theatri partem Pureolis in hortis Hieronymae Columnae stantem maiores nostri viderunt, quae aut terrae motibus deiecta, aut vetustate dissipata & obruta, perijt. Hoc ibi inuentū fuisse epigramma affirmant, GENIO THEATRI AVGVSTI. Ad D. Iacobi aedem Amphitheatrum, ovali forma cernitur, quod aream longitudinis pedum c l x x i i. & longitudinis, pedum lxxxv i i. continet; vulgò Gironem appellant. Multa circum habet concamerato opere aedificia. At quaedam subterranea tam perplexa ostiorum ambage (sic loquitur Antonius Sanfelicius quem honoris causa nomino) ut absque duce & non circumducto funiculo negetur exitus. Labyrinthum idcirco nominant, ibiq. Daedalum artes exercuisse videtur innuere Virgilius. Id aedificiorum genus seruadis aquis fuit excogitatum, ad spectatorum commoditatem. Quinq; tamen Labyrinthos cōmemorat Franciscus Petrarcha, Aegyptium, Lemnium, Creticum, Clusium & Rhodani.

Ex Puteolano Amphiteatro spectandi leges visae sunt prodijisse, cum scribat Suetonius, confusissimum & solutissimum spectandi morem Augustum idcirco ordinasse quod cum Senatorem per celeberrimos ludos frequenti consessu Puteolis nemo recepisset, Romano nomini iniuriam esse factam ratum, decreto Patrum iussisse ut in spectaculis publicis primus subselliorum ordo vacaret Senatoribus, Legatis loca distribuisset, militem secreuisset à populo, maritis è plebe proprios ordines assignasse, praetextatis cuneum suum addixisse, pullatis mediam caueam interdixisse, virginibus Vestalibus contra Praetoris tribunal locum dedisse. Habes Theatri ordinem. Maxima item Romanorum in hoc Puteo-

Puteolano Amphitheatro gloria eluxit cùm Theridatem Armeniae Principem Nero accipiens, splendidissimos ludos edidit. Atque vt in eo ludicro aliquam Romanae amplitudinis partem barbarus cognosceret, Patrobium Liberum ludis praefecit. Cuius apparatus splendorem his verbis Dionis epitomator explicauit in Nerone; *Καί τοσαύτη γὰρ τῇ λαμπρότητι καὶ τῇ δαπάνῃ ἐχρήσατο, ὥστε ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ μὴ ἓνα ἄλλον πλὴν Αἰθίοπων καὶ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν καὶ παίδων εἰς τὸ θέατρον εἰσελθεῖν;* *Tantaq. fuit eorum magnificentia atq; sumptus, vt vnius diei spacio nemo praeter viros, & mulieres, & pueros Aethiopes Amphitheatrũ ingrederetur.* Quin & ipse Teridates è superiore loco belluas traijciens, duos tauros vno ictu vulnerauit.

B. Ianuarius & Socij.

Omnes verò spectaculorum splēdores Ianuarij Beneuentam Episcopi, Neapolitanorum patroni & sociorum agon in hoc Amphiteatro superauit. Fortunati profectò Puteolani appellandi sunt qui *Θηριομάχοις* cum bestiis pugnatōres insignes, & victores spectarunt. Ianuarius quidem à Timotheo Diocletiani Maximini iussu bestiis dilacerādus obiectus est, cùm paulò antè in ardentis ignis fornacem fuisset immissus Nolam Beneuento accersitus, & ignem lacrimis ex charitatis fideiq. fonte emanantibus restrinxisset. Habuit in arena socios Sosium Misenatem, Proculum Puteolanum, & Festum Diaconos; Desiderium Lectorem, Eutichetem & Acutium laicos, Puteolanos ciues. O spectaculi celebritatem. Vbi brutorum sanguis efferbuerat, bruta à Sanctorum sanguine abstinere coguntur. Noluit locus Sanctorum sanguine aspergi, quem ferarum cruor cum humano cruore foedauerat, quem diabolus superstitiosa Idolorum ambitione elicere conabatur. Noluit vnguibus dilacerari CHRISTI martyres, qui testes debebant esse infaniae tyrannorum antequàm coronam essent adepturi. Nec locus in quo venabulo bestiae transfuerberabantur, debebat eos occidere qui Fidei telo inhumanos homines, & brutos

brutos essent trāsuerberaturi. Emittuntur in caueam è carceribus bestiae, & quae credebantur auidiores in martyres impetum facturæ, ferociam omnem abijcientes, ad eorum prouoluuntur pedes atque venerantur. Capitur luminibus Timotheus qui diuini auxiliij munus inspicere non merebatur, mox Ianuarij praecibus qui diuino fuerat lumine illustratus, pristinam lucem adipiscitur. Quo facto, spectatorum ad quinque millia cum maxima acclamatione, rei nouitate permoti, indignitatem sceleris detestantes, Christiana religione initiari cupierunt. Auditus ne vnquam est in hoc Amphitheatro huiusmodi plausus? Quae maior subfellijs gloria; Vestalium, Senatorum, Consulum, an Angelorum qui palmas è Libani mōte pertulerant, confessu? Et si hoc spectaculi genere in transfugas Africanus minor vsus est, rectè in Ianuarium sociosq. vsi sunt, qui ab infedilate, à praestigijs, à daemonum cultu abhorrentes, ad Christianae fidei asylū, ad veri cultus honorem, ad Euangelij veritatem transfugerunt. O misera tūc Christianorum condicio qui Bestiarij veluti serui & captiui sub Imperatoribus habebantur, vt à feris humana corpora dissiparētur, ait Tertullianus. Hinc, **CHRISTIANI AD LEONEM**, vel, **CHRISTIANI AD BESTIAS**. Et Ciprianus de seipso, *Toties ad Leonem petitus in Circo, &, Glamore popularium denuò postulatus in Circo*. Vbi Circus cum Amphitheatro confunditur. Nam Paulus Diaconus, *Populus eos pit clamare in Amphitheatro, crudeli bestiae artifex parabolis pugnet*, hoc est carnificibus. Contifices, παραβόλους appellant Glossæ. Quod Tertullianus, *Ad bestias pronunciari*, dixit. Et Ignatius cum feris pugnare cupiebat, qui etiam apud Hieronymum in Catalogo, à Christianis saepè feras abstinuisse asserit. Et tamen à feris dilacerari, ludus dicebatur; idcirco Firmicus, *Damnationes sunt, metalli, operis publici, exilij, ludi*, scilicet ferarum; vt Vopiscus in Claudio, *Ludo publico deputatos*. Quae nam igitur voces, quae sibila, qui

De Spect. c. 12

Epist. 55.

Lib. 14.

Lib. de Pudicia.

Lib. 6.

quī tumultus in sanctos illos martyres in Amphiteatro Puteolano fuerunt excitati? Quoties in agone auidius eorum sanguinem, quàm bestiae tyranni sitierunt? Illud profectò doleo quòd locus hoc tēpore sentibus obfitus est; deberētq. fordibus à Neapolitanis purgari, vt tanti patroni, lateres, lapides, arena, porticus encomia & testimonium dicerent.

Ea de re haec habentur in eiusdem martyris officio; **IANUARIUS** Beneuenti Episcopus, Diocletiano & Maximino in Christianos saeuientibus, ad Timotheum Campaniae Praesidem ob Christianae fidei professionem, Nolam perducitur. Ibi eius constantia variè tentata, in ardentem fornacem coniectus, ità illaesus euasit vt ne vestimentum, aut capillum quidem flamma violauerit. Hinc Praeses accensus iracundia, martyris corpus imperat vsque eò distrahi quoad neruorum compages artuumq. soluantur. Fesus interea Diaconus, & Desiderius Lector qui ad Episcopum suum visendum accesserant, comprehensi, & ipsi vinctiq. vnà cum Episcopo antè rhedam Praesidis Puteolos pertrahuntur, & in eundem traduntur carcerem in qua Sosius Misenas, & Proculus Puteolanus Diaconi, Eutiches etiam & Acutius Laici ad bestias damnati detinebantur. Postero die omnes in Amphitheatro feris obiecti; quae naturalis oblitae feritatis ad B. Ianuarij pedes illicò prostrauere sese. Id Timotheus magicis cantationibus tribuens, cum sententiam capitis in **CHRISTI** martyres ferre non dubitasset oculis repente captus, orante mox **B. IANUARIO** lumen recepit, quo sanè miraculo hominum millia ferè quinque **CHRISTI** fidem susceperunt.

At verò quid de Puteolano Circo dubitabimus? Habere & Baiae quò Nero Agrippinam ad ludos euocauit. Nec degentes Puteolis Imperatores, Romanis caruissent voluptatibus. Et semper in Graecis ciuitatibus Circi & Stadia. Habuerunt quoque suas venationes Circi. Liuius Censorius carceres in Circo locasse scribit, è quibus veluti è Cauea bestiae mittebantur. Habuere & Gladiatores vt Forum & Septa.

Lib. 11.

QVAE PVTEOLIS NOTATV DIGNA.

Cap. X.

In Romanos studiosi Puteolani.

Tuscul. quest.
Pōpeius aegro-
at Neapoli.



Lib. 8.

Cum VM aegrotaret grauitè Pompeius Neapoli, Neapolitani (inquit Cicero) coronati fuerunt. nimirum etiam Puteolani vulgò ex oppidis publicè gratulabantur. Ineptum sanè negotium, & Graeculum, sed tamen fortunatum. Licet conijcere, Puteolanorum nomine Baianos, Misēnates coeterosq. intelligere, cū ait eos ex oppidis vulgò gratulatos esse. Coronati verò cum tibijs & cymbalis festū diem celebrabant, vt apud Athenaeum. Et Cicero ad Atticum lib. 14. ep. 14. *Coronatus Quinctus noster Parilibus*. Nisi ad sacrificia retulerimus, nam coronatos fuisse Sacerdotes dūm facerent docent Liuius & Plutarchus.

Annona.

Terracinenfes
Puteolani.

Symmachus lib. 1. epist. 39. scribit, Puteolanis Municipibus D, Constantinum CLM. modiorum in alimoniam ciuitatis indulsisse, quae summa à D. Constante regente Remp. media parte mutilata est, postquam Cōstantius annonam Puteol. populi xxv. M. modiorum adiectione cummulauit; atq; ita factum esse vt C.M. modiorū eiusdem populi victus acciperet. Sed Iuliano moderāte Remp. cū Lupus Consulari iure Cāpaniae praesideret, Terracinenfium contemplatus angustias V. M. & DCC. modios Puteolanis derogans, Terracinenfium vsui deputauit. Classē Alexandrinam fortasse Augustus instituit quae quotannis frumentum adueheret. Suprà Senecae verba retulimus, *Alexandrinae naues apparuerunt*. de quibus Statius in Propemptico Metij Celeris

— modò

— *modò nam trans aequora terris*

Prima Dicarchaeis Pharium grauis attulit annum,

Et cum Claudianus dixisset,

Tot mihi pro meritis Libyam Nilumq. dedere

Subdidit, — *geminog. vicissim*

Litore diuersi complerent horrea venti.

Colores.

Cùm de Sile colore loquitur Plinius, quo pingebant Polygnotus & Mycon, coeruleum quoque cõmemorat, quae arena est; cùmq. eius tria genera faciat, duo scribit esse Aegyptium & Scythicum, tertium Hispaniense & Puteolanum, arena ibi confici coepta. Mox de eius coloris usu; *Idem & Puteolani usus, praeterquàm ad fenestras; vocant, Coelon.* Et lib. 34. c. 7. Purpurissum colorem Puteolanum potius quàm Tyrium aut Getulicum, vel Laconicum vndè praetiosissimae purpurae. Causa est, quòd hysgino maximè inficitur, rubiumq. cogitur sorbere.

Lib. 23. c. 13.

*Coeruleum
Puteolanum.*

Purpurissum.

Prodigia.

Anno ab V. C. 577. C. Claudio Pulcro, & T. Sempronio Graccho Coss. Puteolis duae naues fulminis ictu concrematae. Nefatium tũc oppidum Iulius & Manlius oppugnarunt. Mutila & Faueria vi captae. Ilienses & Ligures, deuieti. Anno 618. in aquis calidis Puteolanis riui manarunt sanguine. Ab Achaeis exercitus Romanus caesus.

Ossa Gigantum.

Neapoli diximus ex Philostrato Gigantum ossa ostendi. Puteolanam fortasse Regionem cum Neapolitana coniunxit, quandò & Puteolis ea verè ostensa affirmant. Pomponius Laetus,

Hic quicunque venis stupefactus ad ossa Gigantum,

Disce cur Etrusco sint tumultata solo.

Tempore quo domitis iam victor agebat Iberis

F

Alcides

*Alcides, captum longa per arua pecus,
Colle Dicarcheae clauaq. arcuq. Typhones
Expulit, & cessit noxia turba Deo.*

Capreis ostensa scribit Suetonius praegrandia belluarum membra quae ossa Gigantum dicerentur. Nec sibi persuadeant ij qui se Puteolos conferunt ossa, Gigantum esse, quae nunc Coeti in hortis Toletanis ostenduntur. Narrat tamen in Corinthiacis Pausanias in Aesculapij aedis porticu Balenae os ingenti magnitudine fuisse locatum.

Afiaticus libertus.

Posca.

Lora.

Oxycratum.

Lib. 4. cap. 11

Zytum.

Vitellius Imperator magnam Imperij partem histrionum consilio administrauit. Exprobrat illi Suetonius Afiaticum libertum, quem adolescentulum mutua libidine constupratum, mox taedio profugum, Puteolis poscam vendentem, cum deprehendisset, coniecit in compedes, & statim habuit in delicijs. Aureis praeterea donauit annulis, ut Icelum suum Galba. Et quamuis à Principe ius aureorum annulorum donari solitum, non tamen factum absque Equestris ordinis macula. Poscam, Loram multi suspicantur. Brodaeus in Miscell. Oxycratum Plinianum existimat, non Zytum. Res longe aliena.

Alexandrini.

Nautae Alexandrini, cum Augusto.

Augusto Puteolanum sinum praeteruehenti, nautae de nauì Alexandrina quae tunc appulerat, candidati, coronatiq. thura libantes, fausta omnia, & eximias laudes congefferunt; per illum se viuere, per illum nauigare, libertate atque fortunae per illum frui. Qua re admodum exhilaratus, quadragenos aureos comitibus diuisit, & iusiurandum, & cautionem exegit à singulis, non aliò datam summam quàm in emptionem Alexandrinarum mercium absumpturos. Distribuit togas & pallia. Romanis Graeco, Graecis Romano habitu & sermone uti permisit.

Pharus.

Pharus.

In portu Puteolano Pharum fuisse, Turrim scilicet ad praelucendum noctu, notat Plinius qui illud optimè nosse poterat, quippè Romanae Classis Praefectus fuit; *Vfus Phari nocturno nauium cursui ignes ostendere ad praenuncianda vada, portusue introitum; sicuti compluribus locis flagrant ut Puteolis & Rauennae.* Neque Miseno defuit.

Adde Smyrnae Pharum celebrem. A Pharo aliqui, Menelai nauta nomen habuisse dicunt. Alexandrinam alij celebriorem duxere quae coeteris nomen indidit. Strabo *So-* Lib. 17.
stratum Gnidium architectum eam aedificasse scribit cum hac inscriptione, Σώστρατος Κνίδιος Διεξιφάνους θεοῖς σωτῆρσιν ὑπὲρ τῶν πλωϊζομένων; Sosstratus Gnidius Dexiphanis Dijs Seruatoribus, pro nauigantibus. Ammianus Marcellinus, à Cleopatra excogitatam scribit. A quo etiam dictum, *Et promontorium Cepas praelucētem nauibus vebens construetā celsius turrim, quapropter Pharos appellatur.* Hegefypus; Pharos quasi Phanos ἀπὸ τοῦ φαίνομαι. Homeri Scholiastes, ἢ ἀντὶ τοῦ ἡλίου ἔφηνεν, ἢ εἰς φῶς ἤγαγε. Quòd pro Sole apparet, vel ad lumen agit. Herodianus in Antonino harum turrium aedificium comparat Moli lignorum in qua fiebat Imperatorum consecratio, addiditq. *φάρους δ' αὐτὰ πολλοὶ καλοῦσιν.* Statius antiquā Pharum Neapoli commemorat,

Lumina noctiuagis tollit Pharus aemula Lunae.

Extat & noua. Lucas Biam annuente Federico I. aedificauit. Deinde à Ludouico Rege Gallorū qui sibi Regnum cum Hispano Rege diuiserat anno 1501. tradita Ioanni de Basso, Gallo viro. Cui paulò post, cū perduellis factus esset, ablata est. Anno tamen 1503. à Ferdinando Rege Catholico, data Benigno Egidio, vt eam ex Basso extorqueret, qui Gallorum partes sequutus Neapoli profectus erat. In Ioannis Vincentij, & Ioannis Baptistæ fratrum ex Egidia nobili & perantiqua familia hoc tempore est potestate.

Pharus Neapolitana.

Unable to display this page

rem incuteret. Frigoris, caloris, famisq. patiens sub dio pernox versabatur. Herbosum sibi cespitem vel clypeum sternebat, atque humi iacens robora ossibus conabatur addere duriora. Peruicax inter armatos semper viros versata est; tantumq. in ea virilitatis inerat, ut nemo vnquam eius attentare virginitatem ausus fuerit. Non telas (ut Petrar-chae verbis utar) sed tela; non acus, & specula, sed arcus & spicula meditabatur; non illa oscula, aut proterui dentis vestigia, sed vulnera & cicatrices nobilitabant. Dùm pectebantur aliae & comebantur, dùm cincinnorū fimbrias maderant, horrido ipsa & inculto capillo confertam galeam exornabat. Dùm muliebribus coeterae adsuetae luxibus, perditae libidinis ostentabant ardorem, ressecandae & coer-cendae ipsa petulantiae, varijs laboribus & exercitationi-bus edebat exempla, & flammās Cupidinis militari sudore restinguebat. Experiendae mulieris aliquandò cupiditas aliquos incessit, Puteolosq. profecti, ut aliquod suarum vi-riū argumentum ederet obsecrarunt. Graue saxum & fer-ream trabem iussit afferri, quae cum in medium proiecisset, ut tollerent hortata est. Diutius inter competitores certa-tum. Ipsa facili iactu, cunctis facilè antecessit. Quae nam tamen in muliere excelsior virtus, quàm inter armatos vi-ros perpetuam virginitatem tueri? Habent quid viraginis mulieres Puteolanae, quae cū excellant forma, sanctam tamen student seruare castitatem. In hoc quidē plurimū laudandae quòd ad Romanas vini abstinentia accedunt.

Franciscum Puteolanum Beroaldi praeceptorem, ipsemet maximè laudat, cū multa doctissimè scripserit. Ambro-sium vetustissimum medicum celebrat Marcellus. Et An-dronici meminit Cicero ad Atticum, quo familiariter ute-batur. Caij praenomen tribuit. Tū praeterea Pherionum familiae, cuius consuetudinem, de qua scripserat Atticus, valdè se risisse idem significat, *Itaq; ioca tua plena facetiarū de haeresi Pectoriana, & Pherionum more Puteolano risisse me satis, nihilq. necesse rescribere.*

Lib. 5. ep. 15.

Lib. 14. ep. 14.

HORTI CLUVIANI, PILIANI, LENTULANI, Ciceroniani, Toletani. Cap. XI.



HORTOS Cluuianos, Pilianosq. memorat Cicero ad Att. lib. 14. *Quinto nonas cōscendēs ab hortis Cluuianis in phaslum episcopiū, has dedi literas cūm Piliae nostrae villam ad Lucrinū villicosq. procuratores tradidissē. Et lib. 15. ep. 1. Lentuli hortos; Lentulus Peteolis inuentus est vix, in hortis suis se occultans. Quorum amoenitate ductum arbitror dixisse; In Puteolana & Cumana regna nauigare. O loca coeteroqui expetenda, interpellantium autem multitudine penē fugienda.*

Ciceronis
Academia.

Lib. 3 1. cap. 1

Hortos inter hos praeclaros Ciceronianos Academia & balneo nobilissimos adnumerato. Redolet locus adhuc Hermatenas, Mineruas γυμνασιώδην, Signa Megarica, Pentelicianos Hermas cum capitibus aeneis. Adhuc ferē deambulātes in Xysto cernimus, tūm de philosophia disceptantes, tūm victorem belli ciuilis Caesarem, & Augustum Imperij propagatorem, praeter coeteros qui tanti viri desiderio tenebantur, ibiq. Romam esse censebant, vbi Cicero comorabatur parens Romanae eloquentiae. Haec autem Plinius; *Digna memoria tu Villa es ab Auerno Lacu Puteolos tēdentibus imposita littori, celebrata porticu, quam & vocabat M. Cicero Academiam ab exemplo Athenarum, ibi compositis voluminibus eiusdem nominis; in qua & monumentum sibi instaurauerat; ceu verò non in toto orbe terrarum fecisset. Huius in parte prima exiguo post obitum ipsius, Antistio Vetere possidente, eruperunt fontes calidi salubres oculis, celebrati carmine Laureae Tulli, qui fuit è libertis eius,*

*Quo tu Romanae vindex clarissimae linguae
Silua loco melius surgere iussa viret.
Atque Academiae celebratam nomine Villam
Nunc reparat cultu sub meliore Vetus.
Hic etiam apparent Lymphae non ante repertae*

Lan.

*Languida quae infuso lumina rore leuant.
Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope;
Vt quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures oculis quae medeantur aquae.*

C. Antistius Vetus, qui Caesaris partes bello ciuili sequutus fuerat, post Ciceronis caedem, villam possedit. Ibiq. M. Tullium Tironem Ciceronis libertum usque ad C. annum consenuisse scribunt Eusebius & Isidorus, ibiq. tribus libris Ciceronis vitam fuisse complexum, scribit Asconius Pedianus. Hoc sibi tribuant Puteolani, Puteolanam Academiam nihil Atticae cessisse, & Platonis aemulatorem Arpinatem Philosophiae latices in eo gymnasio, in ijs horis aperuisse, & in eam Villam Musarum omnium domicilium esse traductum. Non itaque Vrbs feliciora sua prospexit Rostra, quam Dicaearchia porticus Ciceronianos. Nec feliciorum Romam appello quoniam Patrem patriae coluerit, quam Puteolos, qui Academiae cultorem fuerint venerati. Hoc tamen lugeant, quod eloquentiae locus, ouium balatum, & pastorum iurgia resonat, & tanti viri voces inter vepres perierunt. Dum littori villa imposita erat, ut ait Plinius, mare nunc recessisse cognoscimus, propterea quod Toletanus ager mari eo tempore erat perfusus. Aedificij amplitudinem, id quod parietinarum reliqui est, patefacit. Hodie, Cicerones, vocant. Repetere haud piget, Adrianum Imperatorem, cum Baijs obijisset, in hac Villa fuisse sepultum; & Antoninum, sepulcri loco, templum ibi aedificasse.

Antistius vetus.

Tiro libertus Ciceronis.

Celebres adde his hortos quos Petrus è Toletto exaedificauit, quando reuocatis Puteolanis qui terraemotu perterriti, prorupto cinereo monte, in alias sedes commigrarunt, vrbs frequentiam restituit. Aquam perennem perduxit, quae & si calidam bibentibus se offert, (calidiorum inter ignes existimarem) saluberrimam tamen degustandam obijciunt terrae venae per quas fluit. Sed optimus Princeps

Horti Toletani.

ceps sitientes accolas publico fonte recreauit. Hortis hoc inscriptum epigramma,

PETRVS TOLETVS MARCHIO VILLAE FRAN-
CHAE CAROLI V. IMP. IN REGNO NEAP. VICA-
RIVS VT PUTEOLANOS OB RECENTEM AGRI
CONFLAGRATIONEM PALANTEIS AD PRI-
STINAS SEDES REVOCARET HORTOS PORTVS
ET FONTES MARMOREOS EX SPOLIIS QVAE
GARSIA FILIVS PARTA VICTORIA AFRICA-
NA REPORTAVERAT OTIO GENIOQ. DICAVIT
AC ANTIQVORVM RESTAVRATO PVRGATOQ.
DVCTV AQVAS SITIENTIBVS CIVIBVS SVA
IMPENSA RESTITVIT AN. A PARTV VIRG.
M. D. XL.

*Garfias To-
letanus.*

Ex ijs spolijs quae Garfias ex Africa attulit, columella marmorea Puteolos allata, quae Arabum more, vndique eorum characteribus inscripta est. Addidit his hortis Petrus, villam complanatam, arboribus confitam, vitibusq. refertam, longo muro perducto, quae Ciceronis villae subiecta est.

Quis autem locus Puteolis est qui amoenissimos hortos non referat? Pomona cuiusvis generis fructus Neapolitanis indè suppeditat. Ficus praecoces optatissimos, prima aestatis munera affert. Quid Ficus? Fragas, Pifa, Fabas, quicquid intēpestium horti possunt afferre. Vuarum plurima genera ex quibus vinum conficitur ad Falerni suauitatem accedens. Cimaie, Cumanis gloriam eripuerunt. Prunis, pyris, malis, coeterisq. fructibus, iumenta, cymbas onerant. Vndiquè solum fructibus, oleribusq. redundat.



VULCANI FORVM. Cap. XII.

STRABO de Puteolis loquutus, mox subdidit; ὑπέρκηνται δὲ τῆς πέλεως ἐνθὺς ἢ τοῦ Ἡφαίστου ἀγορὰ, πεδῖον περικεκλησμένον διαπύροις ὀφρύσι, καμινώδεις ἐχούσαις ἀναπνοὰς πολλαχοῦ καὶ βρομώδεις ἱκανῶς. τὸ δὲ πεδῖον θείῃ πληρὲς ἐστὶ σурτοῦ; *Rectè super hanc urbem situm est Forum Vulcani, campus circumquaque inclusus supercilijs ignitis, quae passim tãquam è caminis incendium magno cum fremitu expirant. Campus autem sulphure tractili est plenus.* Ideòq. Vulcani antrū Hieram nominat Iuuenalis

Vulcani antrum Hieram.

Volcani ———— & *Aeolijs vicinum rupibus antrum* ————

Et Vulcanias insulas existimant per occulta commercia aut mutuari Aetnae incendia, aut subministrare. Et Solinus, Vulcano Aetnam sacram dicit.

Vulcaniae Insulae.

Leucogei montes ab albedine dicuntur. Et vltra Salentinos idem Strabo collocat Leucam oppidum, vbi foetidae aquae fons, quòd Gigantes qui è Phlaegra Cāpaniae eua-

Lib. 6. Leucogei montes.

G ferant

Phlaeagra.

ferant eò vsque ab Hercule fuere exagitati, ibiq. terra obruti, & ex eorum sanie scaturigo enata; ideò Leuterinos eos esse dictos, & eam maris oram Leuterinā vocari. Cam-

Lib. 4. cap. 2.

pos tamen Phlegraeos Diodorus Siculus in Vesuuio collocat. Theagenes & Eudoxus, in Pallene Thraciae vrbe. De qua sic Stephanus, Παλλήνη δ' ὅτι χερρόνησος τρίγωνος, τὴν βάσιν ἔχουσα πρὸς μεσημβρίαν ἐστραμμένην. ἐκαλεῖτο δ' φλέγρα τὸ παλαιὸν, καὶ ὠκεῖτο ὑπὸ τῶν γιγάντων καὶ ἡ τῶν θεῶν καὶ τῶν γιγάντων μάχῃ ἐνταῦθα μυθολογεῖται γυέναι.

Pallene.

Veteri igitur nomine Phlaeagra Pallene vocabatur, eamq. tenuerunt homines, quibus immanitas & superbia morum,

Gigantes.

Gigantum cognomen peperit. In hos innuente proelium

Hercules.

Hercule, fulmina de coelo missa sunt, donec ij fugere coacti sunt, & ingenti victoria superati. Ex hac re rumor in vulgus ortus est, Gigantes Dijs bellum mouisse. Idq. ij auctores fictum asserunt, quoniam ea regio plurimo sulphure scatet. Et quoniam φλέγειν exurere, & ardere significat, quicunque locus sulphur nutrit, φλέγρα dici potest. Eandem fabulam ob sulphureos ignes, Vesuuio, & Puteolis accommodarunt. De Vulcani foro sic cecinit Petronius Arbiter,

*Est locus exciso penitus demersus biatu
Parthenopem inter magnaeq. Dicharchidos arua
Cocyta perfusus aqua. nam spiritus extra
Qui ferit effusus, funesto spargitur aestu.
Non haec autumnus tellus viret, aut alit herbas
Cespitae laetus ager; non verno persona cantu
Mollia discordi strepitu virgulta loquuntur;
Sed Chaos, & nigro squalentia pumice saxa
Gaudent fer ali circumtumulata cupressu
Has inter sedes Ditis pater extulit ora
Bustorum flammis, & cana sparsa fauilla.*

Lib. 17.

Et Silius, ——— illic quos sulphure pingues
Phlegraei legere siccus ———

Et Cornelius Seuerus, ——— Neapolim inter

*Et Cumas locus est, multis iam frigidus annis
Quamuis aeternum pinguescat ab ubere sulphur.*

Et

Et Claudianus.

*Omnia monstriifero complebat tartara coetu
Inuisum genitura nefas. Phlegramq. retexit
Tanta prole tumens, & in aethera protulit hostes.*

Planus quidem locus est, ouali forma, theatrum ostentans. M. CCXLVI. pedum longitudo; M. & eo amplius, latitudo metitur. Alti cadentesq. eum colles ambiunt, ex quibus vndique atrae fumidaeq. exhalationes erumpunt, quarum sulphureus odor, ventorum impetu saepè Neapolim vsque defertur. Aluminis & Nitri venis foecundi. Fossum tamen ignibus depastam in vallem subsedisse dicas. Crepitat sub pedibus solum, aquasq. igne mixtas per tubos fluentes emittit. Idcirco ea re saepè commoueor, quòd facillimè ibi veluti in Xysto quamplurimi deambulare gestiunt, quasi verò non illicò possit ignis efferuescere, & hiatus in subterraneas scrobes terra deglutire. Ad duo millia ignearum scrobium numerantur, ex quibus fumus sulphureus, aluminosus, salis armoniaci, atque aliorum mineralium exhalat, qui frigidis atque humidis morbis salubrem solet afferre medicinam, Quamobrem mensibus Maio & Iunio, superiori etiam aetate Aprili, nunc vero Iulio, non modo ex Neapolitano regno sed vndique ex Europa morbo affecti accedunt. Atq; dignum illud visu esse solet, quo quisq; modo affecti corporis partibus fumum auribus, oculis, alijsq. membris applicet; utq. calefaciat & non vratur, à quo tamen graciles arcentur & sicci quibus non inest humor, quem sulphur elicit. Coeterum nervos emollit, visum acuit, lacrimas vomitumq. coercet, capitis & stomachi dolores aufert, steriles foecundat, febres cum rigore accedentes tollit, infectaq. scabie membra purgat. Audiamus vero Elisium; In summitate montis qui ciuitati Puteolorum praeeminet, planicies maxima adhuc quasi tota circumdata montibus, ex quibus extrahitur innumerabilis thesaurus ex sulphuribus, & aluminibus, & vitriolo, qui ex lapidibus ex terra ipsius montis fiunt. Et ibi quaedam aqua nascitur, quae cum maximo impetu bulliens,

*Vulcani fori
descriptio.*

*Sulphuris cul-
tura.*

*in altum saepè ad duas, & aliquando tres cannas eleuatur. Et in
bac planicie montis quamplurima fiunt naturaliter foramina, ex
quibus maximus & impetuosus exhalat fumus, ut si in eadem
foramina lapis etiam magnus proyiciatur, impetuositate & poten-
tia fumi reijcitur, & quae sequuntur. Notentq. illud curiosi,
cum fumus ex terrae visceribus exhalet, totusq. sulphur
dignoscatur, accolae diligenter terram vndiq; ferro vertere,
vt cum ea fumus ille misceatur, eamq. ab Ianuario mēse ad
Octobrem huiusmodi colere, veluti hortos consueuerunt.*

Chimica.

*Sulphur ad
dentium dolo-
rem & cando-
rem.*

Inde in vas sulphur excipiunt, quod ferè aureum per or-
bis terrarum regiones diuenditur. Cùmq. eliciantur singu-
lis annis triamillia pondo, decima pars ad Episcopum Pu-
teolanum pertinet. Elicuit indè Leonardus Vairus cum vi-
treo vase aquam, ardenti similem, quae ad dentium dolo-
rem atq; candorem plurimum confert, si tamen illicò den-
tes vino vel naturali aqua lauentur; sin fecus pallentes eua-
dent. Oleum quoq; sulphureū effecit, quod cicoreae aquae
infusum, febribus prodest. Metalla fumus ille *xxi i i i*. ho-
rarum spacio dissipat, atque in album cinerem conuertit.

*Metalla à fu-
mo sulphureo
dissipantur.*

*Aquae sul-
phureae.*

In dissipando auro, diuturniori tempore opus est. In scro-
bibus, Sal armoniacum album, aliquandò fuluum est, quo
vtuntur ij qui argentariam faciunt. Pertinet quoq; ad Epi-
scopum. Aquae praetereà conspiciuntur albae, nigrae, fu-
scae, quae tanta vi pollent, vt subito carnes exedant, quod
paucos abhinc annos Germano cuidam accidisse scimus,
qui temerè in ea se loca equo iniecerat. Haec quidem per
terrae meatus ad littus Puteolanum scaturiunt, ibidēq. pro-
desse volunt; quippè aegrorum multitudo arena obruta, ea
potissimum quae articulorum doloribus laborat, paucorum
dierum spacio sanitatem adipiscitur. Testem affert Epi-
scopus Puteolanus Cardinalem Sauellum (dùm Nuntius
Neapoli commorabatur) manibus, pedibus, capite affe-
ctum, à quo morbum ea arena longissimè expulit.

Nec

Nec praetermittendum sulphur illud quod non igne excipitur, sed in terrae cauernis reperitur, quod virginem appellant, mulieribus ad flauos capillos comparandos esse familiare; quod ouo immixtum si quis forbuerit, splenis dolorem sanat, licet & coetera sulphuris genera id efficiant. Praeterea, sulphureum oleum in vase vitreo sigillo Hermetis cooperto, igne adhibito, durum euadit. Fracto vase, & sulphure in humido loco posito, aqua efficitur. Idemq. septies cum factum fuerit, tandem liquidum sulphur obdurari amplius nequit. Chimicis rebus utilis medicina. Quod si lixiuium paraueris cum calce virgine & cinere, atq; in eo ferbuerit sulphur, vt combustibili pinguedine exuatur, sulphur deinde ficcum in vase vitreo cum aqua ardenti ex salnitro, vitriolo Romano, & alumine effecta posueris, quod cum suo recipiente constituatur, mox quatuor vicibus sulphur, ea aqua maduerit, in humido loco relictum, oleum euadet, & omnia quae cum eo in aqua inuoluta fuerint, à putredine erunt aliena.

*Sulphur virgo**Oleū sulphureum.**Sulphur & lixiuium.*

Alumen.

Ad montis huius radices quæ Orientem spectat, ex lapidibus Alumen conficitur quod optimum in toto terrarum orbe existimatur. Scissile reperies & lapidosum. Xenodochio Reges derogarunt, in D. Martae, & D. Annuntiatae postea erecto. Pars altera nescio quo pacto ad Ioannem Mormilem deuenerat, qui ea loca Petro Stephano xxx. M. aureorum vendidit. Ne verò Aluminis redditus, qui à Romana Curia percipitur, diminutio fieret, opificibus interdixit pontifex ne ad ea loca accederent. Deinde à Pio IV. M. & CC. aurei Mormili & Stephano singulis annis soluti sunt, ne ex ijs locis Alumen eliceretur. Mox Gregorius XII. vt solutionem annuam abrogaret, iisdem xxv. millia aureorum soluit, cum interim Xenodochij Aeditui nunquam se eo opere detineri velle iurassent.

*Ioāes Camillus Mormilis.**Petrus è Stephano.*

Con-

*Alumen quo
pactō confici-
tur.*

*Alumen Ser-
rium.*

*Alumen Fi-
sco debetur.*

Conficiendi Aluminis rationem explicat Bellonius cū de Cypsella antiquissimo Thraciae oppido loquitur, quod Chapfylar dicitur à Graecorum & Turcarum vulgo. Erui-
tur ad Serrij mōtis radices vena. Lapides ibi praeduri mal-
leo & cuneis sunt perfringendi. Vrantur veluti gypsum &
calx. In tuguriolis postea aluei lignei defossi sunt in quibus
lixivium infusum relinquitur, donec Alumen in glaciem
coeat. Ex combustorum lapidum cineribus lixivium con-
flatur. Leui tamen flamma lapides vstulati, duri permanent
ac si nullam ignis sensissent iniuriam. Aliquot dies sub dio
permanētes, nocturno rore & diurna pluvia huiusmodi te-
nereſcunt, vt breui in cineres resoluantur. In cineres tan-
dem vel naturali, vel artificiali pluvia redacti, decoquūtur
in lixivium, quod in quadratos alueos ligneos, vel fictiles
ollas effusum, decem aut duodecim dierum spacio coit, &
congelatur. Diciturq. in Italiam aduectum, Alumen Les-
bium, siue Metelim. Reperitur album & rubrum. Ex Alumi-
nis spuma, massa rubra fit qua pictores vtuntur. Cum eo
quoque conuenit id quod ad Tolfam conficitur sub Ponti-
ficum potestate. Ad montis tergus in Ioannis Vincentij de
Ponte fundo, vena quoq; reperta in qua sunt lapides alu-
minosi; & cū decimam Ecclesiae Puteolanae soluere re-
cusaret, ad Regij patrimonij Praefides confugit Episcopus.
Ij vero, quod huiusmodi lapides ad Reges pertinēt, quodq.
Ioanni Vincentio ab Regibus mons non esset delatus, in
Patrimonium montem illum erogarunt.

Sal, Chalcantum, Nitrum, Chalcitis.

In montis culminibus albam quādam reperies materiam
quae salem maximè sapit. Haec alibi pedem habet altitu-
dinis, alibi vero duos tresuē digitos. Pellionibus vsui esse
solet. Salnitrum ille non est, nec Alumen, nec Sal armonia-
cus. Conficitur tamen ex eo aqua quae characteres ex pa-
gina delet, quam penitus consumeret, nisi naturali aqua con-

conspargeretur.

Chalcantum vbiq̃ue in montis ambitu reperitur, quod Romano melius esse arbitrantur. Pellucidum est & sapphiro simile. Et ex Chalcanto percolat aqua crurum vlceribus perutilis. Dentibus quoque prodest, aeris venae argumentum. Id enim vox apud Graecos sonat, χαλκὰς ἄνθος, flos aeris. In medio monte album, & rubrum Nitrum habes. tũ etiam Chalcitim, qui Chalcantum rubrum creditur.

Ignis & aqua simul coeunt.

Dionis in vita Augusti verba libētissimè adscribam, tũ quòd ea loca se vidisse testatur, tũ quòd neminem inter scriptores ea de re nactus sum doctiũs differentem; τὰ δ' ὅρη ταῦτα πρὸς ταῖς ἐνδὸν θαλάσσης ὄντα, πηγὰς πυρὸς τε ἀμα πολλοῦ καὶ ὕδατος συμμιγνοῦς ἔχει, καὶ ἀπὸ μὲν καθ' ἑαυτὸ ἐκάτερον ὕδατος εὐρίσκειται (οὔτε γὰρ πῦρ αὐτὸ, οὔθ' ὕδωρ ψυχρὸν αὐτὸ φαίνεται) ἐκ δὲ δὴ τῆς ὁμιλίας σφοδρῶν τότε ὕδωρ θερμίνεται, καὶ τὸ πῦρ ὑγρénεται. Καὶ ἐκεῖνο μὲν πρὸς τὴν θάλασσαν διὰ τῶν προπόδων εἰς τὰς δεξιὰς χωρεῖ τὴν δ' ἀτμίδα αὐτοῦ ἐπὶ οἰκήματα μετέωρα διὰ σελήων ἐνάγουσι καὶ ταῦτα ἀντὶ πυρῶται. ὅσα γὰρ ἀν' ἐπὶ πλεῖον ἀπὸ τε τῆς γῆς καὶ ἀπὸ τοῦ ὕδατος ἀναδράμῃ, ξηρότερα γίνονται. Hoc est; Nam in his montibus quos iuxta sinus maris paulo antè dictum est, fontes sunt ignis & aquae plenissimi; & qui consuet ex altero separatim omninò nullus inueniri potest. Nec verò per se ignis aut aqua frigida esse videtur, sed quia commiscetur aqua calida, & ignis quodammodo humidus est, atque cũ aqua per canales in cisternas influat, eius vaporem ij qui ea loca incolunt, inducunt per tubos in altissima domicilia, ac postea calefiunt in illis. Nam is vapor quantò longius à terra abfuerit & ab aqua, tantò magis exiccatus & aridus est. Phycam deinde rationem exprimit, & terrae natura effici scribit, vt mons igni exuri non possit, quippe vim eius & flammam contraria vis aquae, quae cum eo commiscetur, restinguit. Sed cũ ignis, ea quae proxima sunt dissipet atque consumat, fieri vt ea pars terrae quae mollis & humida est, calore liquefacta & dilapsa diffundatur; quae verò aspera est & dura, consistat. Ex quo necessarium esse in glebis eius terrae cauernas existe-

re,

re, quasi in locis aridis collocatae fuerint, in puluerem rediguntur; coniectae autem in aquam & mixtae puluere, consistunt, atque adeò quandiù in aqua sunt, concresecunt magisq. obduratur. Cuius rei causa afferri potest, quòd ea pars quae arida est, igni augetur propter naturae similitudinem, ab eoq. frangitur; sed admixta re humida, ita refrigeratur, ut propterea crescat, atq; omnino consolidetur.

Relatio.

Quamuis physicè loqui delectet, arbitror tamen ignes, calidas aquas, sulphur, & bitumen Puteolana, atque ea quae in alijs locis constituta narrantur, ad Christianorum fidem confirmandā, ad nocentibus tetrorem incutiendum, ad haëreticorum audaciam compescendam propagari. Discant stolidi, obtusae mentis homines, eruginem hoc igne tandem aliquandò purgare. Discant qui prauis opinionum erroribus detinentur, Inferni, & Purgatorij ignes confiteri, quos ubique Deus maximus rerum opifex hominibus obijcit, ut à gehennae angustijs & laboribus lōgè studeant esse alienos. In Vulcani Foro daemonibus vexari saepè testantur Sacerdotes Capuccini qui aedem D. Ianuarij incolunt. Voces atque ululatus, tūm terrificos rerum motus exaudiri confitentur. Appulus quidam iuuenis qui studijs Neapoli operam dabat, XXI I I. annum agens, quòd ferè de suis fortunis desperauerat, Diabolum nactus, eius verbis audiēs fuit, qui iuueni persuaferat, ut chirographo sanguine suo scripto, se totum eius potestati deuoueret; effecturum se breui ut amissa bona recuperaret. Amentia ductus iuuenis, fidem praestigiatori adhibens, chirographum scripsit in Vulcani Foro, quò noctu profectus fuerat. Ibi daemonum multitudine perterritus, Capuccinos adiit, & cum caenobij Praefecto quae fecerat, quae acciderant, comunicauit. Praefectus omnia ad Episcopū retulit. At Episcopus religioni totus incumbens, Romanum Pontificem

eam

*Daemones in
Vulcani foro.
Capuccini.
Aedes D. Ianuarij
Iuuenis à Diabolo
deceptus.*

eam rem est monitus. A quo iussu ut iuuenem in carceres raperent. indèq. triremium poena damnauit. Idem Episcopus qui haec mihi retulit, in balneo Hortodonico vnde ad sulphureos ignes etiam descendunt, à plerisque cognouisse affirmavit, luctus ibi maximos & gemitus saepenumero exaudiri, & locum similem illi facit in quo Gregorius Pontifex Pascasij animam à Germano Episcopo inuentam tradit, ideòq. Purgatorij locum nominat. Eiusmodi loca Purgatorij appellat Sigebertus in Chronicis, quae Ollae Vulcani ab accolis vocantur. Quod cum cuidam religioso viro Hierosolymis in Siciliam profecto retulisset quidam ciuis à quo fuerat hospicio acceptus (Ansfrido monacho ab Eremita quodam relatum scribit Tritemius) animas defunctorum diuersa ibi pro meritis supplicia luere, & daemonum voces audiri, & per eleemosynas & praeces fidelium animas ab ignium flammis erui, idq. à peregrino Abas Odillo Cluniacensis accepisset, veluti Cal. Nouembris omnium Sanctorum festum celebratur, ita & sequenti die omnium defunctorum memoriam per sua monasteria instituendā curauit, qui ritus ad Ecclesias transiens, sollemnis factus est.

Petrus Damianus Episcopus Ostiensis & Cardinalis, ab Umberto Archiepiscopo ex Apulia reuertente audiuisse refert, in regione Puteolis adiacente, inter aquas nigras & foetidas promontorium eminere saxosum, ex quibus teterimae videbantur auiculae repente consurgere quae à vespertina Sabbati hora usque ad ortum secundae feriae solitae essent humanis aspectibus apparere, per montem spaciari, alas extendere, pennas rostro prosequente despectare, quae nec vnquam vesci viderentur, nec vllò aucupis ingenio posse capi. Aduenientem deindè coruum post eas auiculas crocitare, quamobrem & illae aquis sese immergerent. Perhibere (ait) nonnullos, eas hominum esse animas vlticibus gehennae supplicijs destinatas quae nimirum reliquo totius hebdomadae tempore cruciantur, Do-

*Purgatorij
icla.
Ollae vulcani,
anno 998.*

*Ansfridus mo-
nachus.*

Abas Odillo.

*Petrus Da-
mianus.
Umbertus Ar-
chiepiscopus.*

Sabatum.

minico autem die , pro Dominicae Resurrectionis gloria , refrigerio fruuntur, quod Prudentius testatur in hymno v. ad Incensum Cerei Paschalis,

*Sunt & spiritibus saepè nocentibus
Poenarum celebres sub Styge feriae,
Illa nocte, sacer qua redijt Deus
Stagnis ad superos ex Acheronticis.*

*Desiderius
Abbas.*

Afferit praeterea idem Damianus , à Desiderio Abate Cassinensis Monasterij hâc opinionem fuisse reiectam, cùm eius scripta legisset. Sed cùm Vmbertus dixisset se id accolis relaturum, rem neq; affirmare , neq; negare eum voluisse.

*Visio quae-
dam.*

Idem in Epistola ad Damianum Loricatum, ab eodẽ Desiderio qui Romanus Pontifex Urbanus Secundus fuit, accepisse tradit , seruum Dei Neapolitanae regionis in prae-rupra rupe ad viam publicam habitasse solitariam vitã degentem, eumq. nimirũ dùm diuturno tempore psalleret , & fenestram cellulae horarũ explorator aperiret , vidisse multos nigros homines veluti Aethiopes iter carpere, & longo tractu sarcinas ferentibus comminari. Et cùm ab ijs percunctatus esset , qui nam gentium essent , & qua de causa iumentorum pabula deuectarent? malignos respondisse spiritus esse , qui non pecoribus pabula, sed hominibus fomenta pararent ignibus comburendis . Citat Illustriss. Cardinalis Baronius . Ad Principem Capuae Pandolphum , & Ioannem Ducem Neapolitanorum ea transferre videtur, vt Principes ad inferos condemnatos ostenderet. Quapropter Ioanne mortuo Vesuvium in flammâ erupisse narrat, vndè videlicet gehenna frequenter eruât.

*Tom. 10.
Pandolphus
Capuae Prin-
ceps, Ioannis
Dux Neap.*



Diui Ianuarij martyrium.

Quid verò Vulcani Forum tot rerum miraculis celebramus, quod Ianuarius & focij inter CHRISTI heroes celeberrimi martyrij lumine illustrarūt? Post tot amoris & fidei Christianae argumēta quae praeclara edidit Ianuarius tandem à Timotheo anno salutis 305. vel vt alijs placet 299. XIII. Cal. Octob. ad eum locum ductus, capite mulctatus est. Atque tantum saeuijt in Sanctum martyrem carnifex, vt cum capite supplicum manuum etiam digitorum obtruncauerit. Sanguinem nobilis quaedam mulier quae spectaculo inrerfuit (quam Neapolitanam fuisse docuit Gabriel Lotterius Theatinus Sacerdos doctrinarū omnium varietate ornatissimus) in duabus ampullis vitreis summa cum charitate seruandum curauit, in altera puriorem, in altera sanguinem cum palea mixtum.

Proxima nocte cū multi ex Christianis in vicina sese loca abdidissent, vt Sanctorum corpora tollerent & sepelirent, & Misenates suum Solum, Puteolani Proculum, Eu-

Illustrarunt?

*D. Ianuarij
martyrium.*

*Sanguis D.
Ianuarij.*

*Christiani ob-
seruant mai-
tyres.*

tichetem, Acutium, Beneuentani Festum, Desiderium, Neapolitani Ianuarius obseruarent, Neapolitano cuidam apparuit Ianuarius, dixitq. *Frater, cum corpus meum tuleritis, & digitum manus meae illo in loco exiluisse cognoscite, requirite eum, & pariter cum corpore meo ponite, ut in eius Actis, quae in sacris Neapolis & Campaniae monumentis accuratissime refert Bartholomaeus Chioccarellus. Quod summa charitate Neapolitani exequuti sunt, corpusq. cum capite & digito in loco quem Marcianum dicunt, sepultura honestarunt.*

Seuerus Antistes Neap.

Aliquot post annos Christianorum persecutionibus restinctis, cum eius rei fama iam inde percrebuisset Seuerus Neapolitanus Antistes inde Neapolim corpus transferendum decreuit, & cum clero & populo hymnos concinente, eo profectus, sanctis repertis reliquijs, quanta omnium animi laetitia fuerint perfusi, quantum sibi gloriae & honoris comparasse praedicauerint, quis narrabit? Laetitiae tamen & gloriae maior accessio facta est, cum mulier quae sanguinem seruauerat, Seuero illum libentissime obtulit, qui cum ad capitis corporisq. prospectum positus esset, obduratus antea, subito mollitus est. O praeclarum sanctarum Reliquiarum miraculum. Accedant haeretici; explorent, obseruent, stupeant, & fidem catholicam miseri amplectantur. Ianuarius ad probandam fidem vnus satis esset. In eius sanguine, omnium sanctorum martyrum sanguis videtur esse concretus. Liquatur sanguis; corda liquentur necesse est. Motus in sanguine diuinitus excitatur, quid tandem infidelium corda ad Romanae Ecclesiae veritatem, & pietatem non excitantur? Sertibus redimiti, floribusq. ornati Neapolitani cum admirandis Reliquiis laetissimi ad urbem rediere. Illustrior quam quoscunq; vidit Capitolium, hic triumphus habitus est, & magis quam fasces Imperium, sanguis & corpus beati Martyris Romanam Ecclesiam exornauit, Neapolim locupletauit, Christiani nominis orbem

Sanguis S. Ianuarij.

Traslazio S. Ianuarij.

bem amplificauit. Hinc factum est deinceps ut mense Maio, primoq. eius mensis Sabbato, quando hoc festum celebratur, Sacerdotes circumferentes per ciuitatem reliquias floribus redimiti incederent. Quem tamen morem sancta antiquauit Ecclesia.

Seuerus in aede ab ipso condita, quae ad mille passuum extra ciuitatem aberat, reliquias condidit sub Constantino. Licet Ioannes Diaconus in Episcoporum Neapolitanorum Chronicis, tantae sepulturae Ioannem Episcopum Neapolitanum interfuisse, & manibus suis in eadem aede condidisse dicat. Quod vero simile haud est, quando asserit eundem sub Damaso, & Siricio Pontificibus floruisse **xiiii.** Neapolitanae Ecclesiae Antistitem, & tamen eius martyris translatio Puteolis facta est, subito Diocletiani & Maximiani persecutionibus restinctis ut diximus, florentibus Siluestro Pontifice, & Constantino Imperatore quorum viguit Seuerus aetate, veluti ex eius & Ianuarij constat Actis.

*Sepultura S.
Ianuarij.*

Neapoli à Sicone Beneuentanorum Duce qui eam urbem maxima obsidione occupauerat, eius martyris corpus anno 818. ab ea quam diximus aede à Seuerio aedificata ereptum est, ductumq. Beneuentum, ubi in maiori ecclesia cum sanctis Festo & Desiderio cōiunxit, ut Herempertus in Longobardorum Historia, & Leo Ostiensis scribunt, quos tamen Beneuentum transstulerat Cyphius Senator.

*Sico Dux Beneuentanorū
abstulit D. Ianuarij corpus.*

Lib. i. c. 22.

Annum circa 1154. cum Gulielmo i. Beneuentum maximo cum exercitu recuperaturo, S. Amatus Montis Virginis monachus, & S. Gulielmi eius monasterij fundatoris discipulus victoriā prædixisset, pollicitus est Rex victoriae Mōtis Virginis Ecclesiam participem facturum. Qua consequuta, multa Sanctorum corpora & reliquias quae Beneuenti reperit, ijs dono dedit. Et quamuis Sanctorum nomina in vita S. Amati, & in eius loci Historia reticeantur, coniectura tamen praeuidemus tunc martyris Ianuarij cor-

*Ad Montem
Virginē translatum.*

pus

*Ab Oliuero
Carrafa Nea-
polim ductu.*

pus eò fuisse traductum.

Anno postea 1497. ab Oliuero Carrafa Cardinali, & olim Neapolitano Archiepiscopo impetratum ab Alexandro VI. Pontifice vt in Basilicam Neapolitanam transferre liceret, quod Alexander Carrafa Oliuerij frater Neapolitanus tunc Archiepiscopus, sollemni celebritate fecit, vbi tandem cum ingenti Neapolitanorum gloria Urbis defensor, ciuium adiutor & consolator requiescit.

Aedes D. Ianuario à Neapolitanis Puteolis condita.

Aedes ibidem à Neapolitanis Puteolis est condita anno 1574. vbi aedicula priùs erat, cum marmoreo Ianuarij capite, quod hoc tempore in noua aede cernitur, & ob antiquitatis relligionem veram Martyris esse imaginem arbitrantur. In ea cōmorantur Sacerdotes Capuccini, qui tanto cultu locum auxere, vt apertè confiteantur Puteolani, terraemotus maximos quibus vehementer afflictabantur, eorum aduentu planè defijisse. Ipse illud videns animaduerti, in eo horrido loco suauissimos fructus enasci, & inter ignes hortorum delicias multa commoda elargiri. Vt meritò sanguis ille flammis quae possent prouolui, restinguat, & agri solum aridum ad fructus parturiendos cū maxima vbertate foecundet. Neapolitani vt sui iuris aedem esse significarent, hoc epigramma adscripserunt,

DIVO. IANVARIO

DIOCLETIANI SCelere OBTRUNCATO
NE QVOD SACRI CORPORIS SANGVINE MAD-
DVERAT SOLVM SINE HONORE DIVTIVS
REMANERET NEAPOLITANA CIVITAS P. P.
AERE. P. F. 1580.

In altari haec leguntur,

LOCVS DECOLLATIONIS S. IANVARII
ET SOCIORVM EIVS.

Canonicis Puteolanis soli causa pendet singulis annis
Neapolitana ciuitas x l i i. cerae pondo, aut pecuniam ce-
rae

rae loco; quae quòd aliquādo cariùs emitur, pecunia quoque auēta est. Praefecti ad eam rem ex nobilibus & popularibus constituti, qui perpetuò illud curent.

SULPHVR, IGNES, TERRAE MOTVS.

Cap. XIII.



RVMPIT in Vulcani Foro inter densos igneos vapores sulphuris congeries, quae vndiquè locum igne concretum esse non dubitamus: & aquae circum calidae, & littora calore aestuant, & dùm crebris terrae motibus quatitur solum, aut flammam illicò erupturas, aut saxa, agrosque atque mare ipsum conflagraturum tibi facile persuaferis. Admiratur ea loca Statius,

*— medij altè permissus anhelat
Ignis aquis, & operta domos incendia seruant.*

Quod si Philosophorum placitis ad ea probanda vti velimus, non placet eorum sentētia qui accendi aiunt subterraneos ignes calore quem Sol aliaque sidera lucis interuentu emittunt. Qui enim fieri posset vt in abditissimos terrae meatus, & specus, solares radij penetrarēt, quos terrae tantum superficiem peruadere nos docet experientia? Neque illud fieri posse dicemus, vt calor à sideribus emanans tanta vi ad loca sulphure & bitumine plena perueniat, vt ignē valeat excitare. Quamobrem quae cum optimis Philosophis Collegium Conimbricense decreuit sequutus, dicam, subterraneum ignem inflammari ab exhalatione, spirituue cauernis incluso, qui spiritus dùm in locorum angustias per *ἐν τῇ πύλινδι* frigoris cogitur, vel dùm hac illac exitū quaerit, ipso attritu & conflictatione accenditur. Quandoquidem motus non caloris tantum causa est, sed etiam flammam

Sol non accendit caloris subterraneos.

Collegium Conimbricense.

*Georgius
Agricola.*

*Bituminis plu-
ra genera.*

*Terraemotus
Puteolani.*

mae, cum idoneam materiam nactus fuerit. Fomitē verò ignis subterranei, Georgius Agricola statuit esse sulphur & bitumen. Et quamvis sulphur factitium quoque reperitur, fossile tamen, & sponte nascens hisce in locis cernitur, viuumque appellant. Bituminis plura genera enumerat Plinius. Is verò de quo agimus admodum pinguis succus est, & calidus oleacei liquoris. Interdum aquis innatat, ignium naturae cognatus. Hinc terraemotus. Non tantum enim vi frigoris cum terra constipatur, & hinc inde exprimit exhalationem, terram identidem ferit; sed etiam cum exhalatio obsistente frigore per antiparistasim (ut diximus) calorem introrsum colligit, deinde rarefcit. Et veluti pulvis tormentarius igne correptus impositam turrē commouet & disturbat; sic incensa exhalatione terra quatitur & labefactatur. Anno 1198. sub Federico II. Vulcani Forum maxime exarsit, & terraemotu tota regio concussa est. Sub Alphonso Aragoneo pridie Cal. Aug. anno 1488. domorum & hominum internecio facta est. Anno 1538. memorabilis ille terraemotus, ex quo mons cinereus excitatus est. Hoc debuerat Munsterus dicere, non ad Vesuuium eam conflagrationem transferre.

Ignis materia.

*Marga
Sulphur
Bitumen.*

*Ignis subter-
raneus Bitu-
minis nutri-
tur.*

Quoniam verò pingua quae intra terram gignuntur sunt diuersa, Marga, Sulphur, Bitumen, quod nam ex ijs materia illius ignis esse censetur? Margam sane reijcimus cum non ardeat, neque vlla terra pinguis, nisi sulphurata fuerit, aut bituminosa. Sulphur ardet quidem, sed veluti haec citò aqua extinguitur. Non igitur occulti ignis sunt materia. Quocirca bitumine nutritur, licet sulphur ignis pabulum aliquos scripsisse, in aquis explicabimus. Fomes ignis illud est, ardet enim in aquis, earumque humore pascitur; & Tacitus sub Nerone scribit in agro oppidi Vbiorum ignem arua & villas combussisse, qui, quoniam materia erat bituminosa

minosa, neque fluuijs, nec alio quouis humore poterat re-
stingui. Quocircà qui ignes apparant admirabiles, quos
in aquam coniectos extinguere non videmus, semper aliquid
bituminis aut pissasphalti admiscunt, aut eorum quae ex
bitumine constant; & lapides ad Ephestos Lyciae montes,
in ipsis aquis ardentes, ut ait Plinius, bituminosos esse in-
telligimus. Negat tamen id Baccius, qui scribit nouā hanc
esse Germanorū opinionem, nam si ita esset, omnes essent
calidi fontes bituminosi, & assecclas egerent flammās. Et
sulphuri calorem materiā tribuit. Quae tamen in hoc loco
nostra non est disputatio.

*Lapides in
aquis ardentes.*

Sulphur.

In ardentibus semper locis sulphur reperies, quod pin-
guitudo terrae est, quam & ipsa vis caloris expressit, quae
in monte Puteolano maxima cernitur. Ad Hasdam quoque
pagum fons erupit, qui viciniam sulphuris foetore imple-
uit. In Islandia tres montes Heda, Crucis, Hegla ad coe-
lum elati, fodinas sulphuris narrant, vnicum incolarum
mercimonium, & vectigal insulae, ex qua mercatores onu-
stas naues euehant. Mons ipse cum furit, sulphur euomit,
& ingentia saxa emittit. Tamen autem in bituminis tota tem-
peratione quam sulphurris, inest aer & ignis, ideòq. faci-
le concipiunt ignem. Poeticè philosophatus est Silius Ita-
licus lib. 12.

*Sulphur va-
rijs in locis.
Aquae sulphu-
reae, Purgato-
rium dicta in
Pannonia.
Feruētes la-
cus in Gothia,
in Islanda.
Campi ardē-
tes in Caria,
& Phrygia.*

*Ac iuxta caligante sita longumq; per aeuum
Infernis pressas nebulis, pallente sub umbra
Cymmerias tacuisse domos, noctemq; profundam
Tartareae narrant orbis; tum sulphure & igni
Semper anhelantes, coeloq; bitumine campos
Ostentant, tellus atro exundante vapore
Suspirans, vstisq; diu calefacta medullis
Aestuat, & stygius exhalat in aëre flatus.
Parturit, & tremulis metuendum exsibilat antris*

*Interdumq. cauas luctatus rumpere sedes
Antexire foras, sonitu lugubre minaci
Mulciber immugit, lacerataq. viscera terrae
Mandit, & exesos labefaciat murmure montes.*

THESAURI PVTEOLANI.

Cap. XIII.



IRVM quàm hominum opinionē ad sulphuris cauernas, ad ignium & scrobium diuerticula, thesaurorum excogitatio decipiat. Animam profectò habere diuitem non cogitant. Quid verò ad animam pecunia? Nunquam legerunt Alexidem,

Ψυχὴν ἔχειν δὲ πλουσίαν. τὰ δὲ χεῖματα

ταύτ' ὅτιν ὄψις, παραπέτασμα τῆ βίου.

Animam habere diuitem oportet. Pecuniae autem

Hae nihil quàm ostentatio sunt, & velamentum vitae.

*Thesaurorū
inuentores de
lusi.*

Conueniunt ex tota Europa mendici. Magorum libros se habere iactant. semper tamen oleum & operam perdunt. Vulgi ignari fabulis allecti in cryptis, & specubus auri dolia occlusa esse sibi persuadent. Argent, sudant inuestigando collium iuga, anfractibusq. petrarum latitant, signa in littorum scopulis, agrorumq. surculis, & arborum radicibus quaeritantes. In Vulcani Foro aurum nasci credunt.

Collonucius.

In Gauro monte, quem Barbarum dicunt, Reges esse ex auro dictitant carbunculis splēdidissimos, custodiri tamen laruis, spiritibusq. ideoq. aditum non patere. Se ipsos spectra videre asserunt, sed somniasse videntur cū renunciant. Decepit multos Collenucij historia qui Robertum Northmannum captiui Sarraceni opera multos Puteolis thesauros euertisse scribit. Fabulosam eam narrationem ostendit statua è marmore, redimito capite, aenea vitta, in quam rem totam incisum carmen significaret. His similia carmina &

na &

Unable to display this page

T V M V L T V S P V T E O L A N I,

Comitiua. Cap. XV.

De legatione
ad Caium.

PPIDVM felicissima coeli regione collocatū, placidissimi maris vndis perfusum, fructuum vbertate inter Tyrrheni maris ciuitates notissimum, splendidissimis villis ornatum, vt loquitur Philo Iudaeus, quò Caligulam ex Vrbe sequutus fuerat, ab omnibus fuit maximè desideratum, quamobrem & cū Dictatura L. Cornelius Sylla se abdicasset, eò ad bene & feliciter viuendum diuertit. Bellicis propterea motibus turbatum aliquandò.

Annibal.

Lib. 4. dec. 3. *Annibal in Auernum lacum descendit per Spectem sacrificandi (inquit Liuius) reipsa, vt tentaret Puteolos, quiq. ibi praesidio erant. Et paulò post; Sacro indè perpetrato ad quod venerat, & dū ibi moratur, peruasato agro Cumano vsque ad Miseni promontorium, Puteolos repente agmen conuertit, ad opprimendum praesidium Romanum. Triduum ibi moratus Poenus, ab omni parte tentato praesidio. Deindè vt nihil procedebat, ad populandum agrum Neapolitanum, &c.*

Gotthi. Vandali.

Alarius. Stilico. Anno 406. cū Imperij maiestas paulatim esset declinata, hostium quoq; temeritatem in se concitauit. Cum praecipuè Gotthi Alarico duce, & latè vagarentur, & Gallis bellum inferrent, maximis copijs Italiam adorti. Tunc à Stilicone Arcadij & Honorij Praefecto reiecti, Romā contendentes, Honorio tantū imperante, & Pontifice Innocentio I. Urbem vi receperunt & diripuerunt. Mox triduo ibi cōmorati, Neapolim se recepere, maxima clade Campaniam afficientes, quam Puteoli haud euasere publicis priuatifq. aedificijs incensis.

Quam

Quam nec euadere potuerunt cùm Italiae fines Genfericus Rex Vandalorum ingressus, Campania vexata, Puteolanos concidit & perdidit anno 456. cùm tamen antea Totilas per Galliam Cisalpinā, Etruriam, Vmbriam, Mar-
 fosq. Campania penetrata Beneuenti moenia disiecit, Neapolim obsedit, & in suam potestatem redegit Cumas. Puteolanis vim facere conantibus, Gotthi ciuitatem popu-
 ti sunt, vastarunt agros, & moenia funditus euerterunt, nihilq. fuit reliqui quod vastitatē, squaloremq. non ostenderet. Decedente ex Italia Totila, vrbs Puteolana habita-
 tores desiderauit. Quòdq. prius oppidum Imperatorū fue-
 rat domicilium, & Romanorum deliciae, armentorum & reliqui pecoris sordes ex parietinis eluere nequiuit. Lucrini lacus commodo piscatores adductos urbem instaurasse scribunt, ijsq. adiumento fuisse Graecos qui ex Calabria soluentes, in hanc oram aduecti, regionis felicitate irreti-
 ti, cum piscatoribus inita societate, aedificia restituenda curarūt, & multis ex finitimis in ciues adscitis, frequentem urbem reddiderunt. Nouae innituntur opinioni.

*Genfericus.**Totilas.**Gotthi.**Puteolana
miseria.**Oppidum in-
stauratur.*

Longobardi, Sarraceni, Massamuti, Nortmanni.

Longobardos maximas iniurias Puteolanis intulisse, ijsdem de causis credendum est, cum praecipuè Cumis potiti fuerint. Sarracenos omnia vastasse crediderim, & de Puteolanis locis affirmat Eugipius; tùm anno 568. à barbaris foedissima in Neapolim facta irruptione. Tunc Longobardi fracti viribus Ludouicum Imperatorem accersuerunt, tertio in Italiam aduentu, qui Puteolanis balneis vsus est vt scribit Leo Ostiensis. Nortmannos item, conciliata sibi volūtate Puteolanorum à Rainulpho qui cum Sergio Neapolitanorum Duce coniunctus erat. Quamobrem Pandolphus Capuae princeps, quocum Rainulphus bellum gerebat, hostilia ijsdem arma intulit. Atqui anno 1038. quòd cum

*Longobardi
Sarraceni.**Ludouicus
Imperator in
balneis Pu-
teol.
Lib. 1. c. 38.*

cum Archiepiscopo Mediolanensi Cōradus Imperator inimicitias exerceret, in Italiam se contulit. Allatoq. nuncio à Casinensium Monachorū iniuria Capuae Principem Rainulphum non abstinuisse, auditis eorundem querimonijs, Principatu eum priuauit, suffectusq. in eius locum Guaimarus Salerni Princeps, ad quem liberam detulit Puteolanorum ditionem, & Adenolphum Capuanum Archiepiscopum à Principe in carceres detrufum liberauit. Anno

Lotarius.

*Chron. Cass.
lib. 4. c. 127.*

1136. Cū Lotarius Campania esset egressus, quòd Rinaldus Abas Casinas Sanctum Germanum oppidum recepit, & ad Abatiam occupandam accessit, Guibaldus ad Lotarium ad petendum auxilium misit, atq; haec scripsit; *Post profectiōem à nobis vestram, Sarraceni, Nortmanni, & Longobardi in Campaniam irrupere, & direptione incendio, ac caede omnia miscuere &c. Nostrorum verò dictorum sunt ciuitates Puteolana, Allifana, & Telesina, quae nihil aliud nisi olim se fuisse demonstrant, & si quae supersunt, solo aequantur, ut Capua, nam postquam fortunas & homines exhausserunt, incendium subiecerunt.*

Moabitae.

Apud Sigebertum, Massamuti (quos & Moabitas dicunt) post vsurpatum Mauritaniae regnum, Regēq. patibulo affixum, etiam Regem Bulgiae occidentes, Regnum eius inuasere, ipsam Siciliam, Romam quoque se inuasuros minitantes anno 1151. Et anno 1154. Cū Guilielmus Siciliae Regno potiretur, iidem Puteolis in Italiam castrum spoliāt, sed Siculis persequētibus profligati sunt.

Ioānes Neapol. Dux.

In vita S. Seueri legitur, Ioannem Neapolitanorum Magistrum militum, & Campaniae Ducem annum circa 1014. eo tempore quo Henricus Conradi filius Romani Imperij coronam ab Apostolica sede suscepit, cum exercitu Puteolos inuasisse, castrisq. positis oppidū expugnare conatum.

S. Seuerus.

Atque tunc miraculo claruit Seuerus, nam Capuanus quidam ab oppidanis confossus oculum sagitta, Seueri auxilio sagittam extrufit, quod nulla medicamentorum genera efficere potuissent.

Rena-

Renatus. Alphonfus.

Maximum in re bellica hoc oppidum Alphonso cum Renato contendenti, negotium faceffiuit, magisq. Puteolos quàm Neapolim post multos labores desiderauit; neque aliud hostile oppidum in Campania relictum fuerat. Cum igitur recepta Auerfana Arce, Caietam profectus esset, inde Capuam reuersus, in Puteolos impetum faciens, oppidanos terrore illato in deditiōem compellere sperabat. At quoniam oppugnationem irritā loci natura faciebat, quod scilicet & praecipiti rupe, & maris altitudine, & muro circumducto, & ponte per quem perangustus dabatur aditus, oppidum muniebatur, quamobrem nunquam se dedituros animaduertebat, hominum obsidionem, in vitium arborumq. concisionem transtulit. Quare ad oppugnandam Oētauij Turrim ad Veseuum castra mouit. Multisq. cum Antonio Caudola peractis, Puteolos iterum tētare decreuit, quod nunquam Renati fidem violare voluerant. Rostratis nauibus accersitis iussit vt maritimos cōmeatus impedirent. Ipse tormentis inuectis oppidanos perterrebat. Cum diū restitissent, atque omnium rerum spes eos defecisset, re potissimum frumentaria interclusi, missis qui cum Rege de deditiōe agerent, acceptisq. vtrinque conditiōibus, tandem portas Alphonso aperuere.

Arx Auerfana.

Antonius Caudola.

Turcae.

Anno 1554. plurimū Puteolanis detrimenti imminabat cum Oenobarbus Solimanicae classis Ductor, vastata Inarime & Prochyta, iussit vt Salecco duce Turcarum cohortes è nauibus descenderent, & tormentis urbem expugnarent. Petri tamen è Toletō prudentia, eorum furori celeriter occurrit. Qui mille equitibus nobilibus, proceribusq. Neapolitanis confestim conuocatis, multis praeterea cum peditū cohortibus Puteolos aduolans, Saleccum, Praefe-

Oenobarbus.

Saleccus.

Petrus è Toletō subuenit Puteolans.

Iannettinus
Auria.

Saiauedra.

Praefectumq. terga vertere coegit, Iannettino Auria nouissimum classis agmen insequente, ut cum sese occasio obtulisset, aliquid damni barbaris inferret. Obijt tunc Puteolis bombardae ictu strenuus Dux Saiauedra Hispanus, qui maximos Puteolanis viuens faciebat animos, dum summa vigilantia moenia perlustraret. Hanc Petri victoriam diligentissime in sepulcro marmoreo sculpsit Ioannes Nolanus, quod in Diui Iacobi Hispanorum aede integerrime est positum.

Comitiua.

Comites
varij.

Comites
aulici.

Comites pro-
uinciarum.

In vita Veri.

Plura Comitum genera habes in Notitia, & apud Iuriconsultos. Qui tamen ab Augustorū comitatu nomen traxerunt, in quorum aula primi ordinis viri erant, ijque fortasse Augustales. Hinc Comitiua domesticorum, sacrarum largitionum, rei priuatae, sacri patrimonij, sollemniorum, thesaurorum, horreorum, scholarum & huiusmodi. Ad aulicum quoque iudicium redacti, Comites Consistoriani, de quibus Spartianus in Herodiano, *Cum iudicaret, in consilio habuit non amicos suos, aut Comites solum, sed Iuriconsultos &c.* Maximè verò ad prouinciarum iudicium: Habes etiam apud Graecos *τραπεζιται*, & apud Francos Landgrauios. Capitolinus scribit eos Comites, confecto bello, Verum Imp. distribuisse prouincijs regendis; & Orientis Comites à Marcellino commemorantur. Hi profectò cū Praefidibus sub Praefecto Praetorio erant. Ideòque Suetonius de Tiberio, *Caium (inquit) Orienti praepositū, cū visendi gratia traiecisset Sauum, alieniorem sibi sensit ex criminationibus M. Lollij Comitidis & rectoris eius.* Sic etiā cū in Praefecti Praetorio Illyricano, Thracias, Pontum, Dacias, Maefias, totamque Graeciam legamus, legimus etiam apud Marcellinum, Comitem Thraciae Iulium, qui scilicet illius prouinciae Praefectus erat, quā alius Praetoriani regebat potestate Praefecti. Huiusmodi Comitiuam Neapolitanam facio apud Cassiodorum, *qua ciuilia negotia aequi trutinatores exami-*

examinarent, & gemmatum tribunal considerent. Transijt nomen ad Nortmannos, honorisq. fuit insigne, vt ait Gulielmus Apuliensis, legimusq. Apuliae vel prouinciae, vt Apuliae Comites, vel ciuitatum vt Aquini, Fundorum, Aversa. Ad eum honoris gradum accesserunt Puteoli, iam tunc fortasse cum Guaimaro oppidum delatum est, quod supra retulimus. Anno igitur 1144. Salerni Diploma Rogerius Rex subsignat in quo haec leguntur; *Confirmamus iam dicto Monasterio (de S. Maria de Cappellis loquitur) hortum qui vocatur de Iubenullo iuxta continetiam oblationis, quam per cartam Adenulphus quondam Comes Puteoli ei fecit.* Subscribunt etiam Comes Cuperfani, & Comes Tricarici.

LITTVS, AER, CIVES, NOBILITAS,

Lapides.

Cap. XVI.



PROPTER mare, Auernum lacum, & aquam passim scaturiētem, Puteolanum aërem humidum esse quidam senserunt.

Aër Puteolanus temperatus.

Alij ob sulphureas mineras siccum praedicant. Ea tamen quae à Miseno monte ad oppidum ora protenditur, collibus &

montibus ad orientem, Septentriones, & occidentem circumuallata, ad meridiem est peruia, vbi calidae aquae benignè passimq. manant, aut sulphureae, aut aluminosae, aut falsae, aut bituminosae, quarum plurimae partim conflagrationibus, partim terraemotu latent, cuius terra luto-fa, pinguis, fertilis, arboribus refertissima, temperata dicenda est, atque idcirco praecociiores fructus quàm aliae proximè regiones producant. Morbi tamen incolis biliosi, breues, salubresq. quae optimam coeli temperiem patefaciunt. Viri colorem subflauum habent; ad contentiones procliuēs, quibus Romani remedium afferre coacti sunt;

Morbi.

Color. Contentiosi.

K

à so-

Clima.

à societate & cultu abhorrentes, agriculturae addicti. In Climate Dia Romes collocati, quod temperatius Auerroes & Galenus esse defendunt. Atq; ita (addo enim terrae viscera igne repleta) Puteolanus aër calido citra primū gradum exuberat, & in humido & sicco est temperatus. Meridionalibus ventis perflatus, gelidorum ventorum iniurias propellit.

Corneolae & lapides Puteolani.

Littus, praeter aequoris thesauros, olera in arena producit, quae hortensia alibi desiderantur. Ad Dominicanorum aedem, furente maris aestu, varia lapillorum genera fluctus proijciunt, Corneolas praesertim in quibus variae incisae Imagines, antiquorum superstitionem referentes. Et quamuis Albertus scribat eas non ita facile intelligi, nisi ab ijs qui Astrologiam & Magiam callent, & Thebitus adijciat imagines in lapidibus sculptas, nunquam ornatus causa fuisse positas, sed ut ab ijs gemmae virtutes aliquot sortiantur; ea tamen christianam pietatem minimè decent, quae isthaec ludicra & puerilia contemnit. In Puteolanis lapillis, Mercurius, saepissimè incisus cernitur, quo

*Mercurius.**Formica.**Gallus.*

cum crumenam & gallum adpingunt, ut fortassè homines ad mercaturas exercendas, vigilantes impellerent. Quapropter & Formicam in ijs depictam arbitror, ut ostenderent rerum providentiam omnibus cōuenire. Gallum quoque in Agatide inueni, quem si quis in annulo gestaret, contra aëreos spiritus valere existimabant. Haec etiam vulgò reperiuntur; Gallina, ad rerum copiam & prolis numerum. Aquila in christallo, quae homines efficerent victores & eloquentes. Mustella, ut febrim depelleret. Ciconia & Cancer, ad hostes propellendos. Noctua, ut doctos redderet viros. Rana, ut piscatores. Lepus in Diaspro, qui timorem depellit. Serpens in Onice, qui ventos reprimat.

*Gallina.**Aquila.**Mustella.**Ciconia.**Cancer.**Noctua.**Lepus.**Rana.**Serpens.*

Vitis aut spicae, Principibus homines beneuolos reddunt. Hominis Imago in Chalcedonio, viae securitatem. In lapillo haec leguntur, C V I V S. quae ad coercendum sanguinis

guinis fluxum valere aiebant. In alio, ΕΤΔΗΜΙΑ; *Bona popularitas*, ad popularium animos sibi alliciendos. Et si *θυμια*, scriptum quoq; arbitrarer, quae animi hilaritatem & securitatem significat. In Sardonio qui in eodem littore repertus est imago virilis quaedam ad cuius dexteram legitur, ΔΙΑΚΤΡΙ. ad sinistram, ΑΡΤΑΤΕΙC. sub pedibus, ΑΑΤ. in altera facie, bouis caput sculptum, suprà quod Iouis fulmen cernitur ad renum dolores conferre dictitabant. In quodam Diaspro, imago Terminali ferè similis, quae tamen ad foemora alas habet cum his notis, ΒΥΔΑΙΒΩΘ. In alio, ex vna facie quodā tropheum in Iouis fulmine collocatum; ex altera hi characteres, ΑΒΡΑCΑΞ. Multa item similia quae longū esset recensere. Pollubra argentea quoque inuenta scimus praeter auri scobes. Eius artis officinas ibi fuisse constitutas nemo est quin iudicet, vt potissimam Emporij partem.

Nobilitas.

Nobilitatem Puteolis profitentur Constantij, Boffi, Ruffi, Aquilerij, Capomatij, Frangipanes, Adamiani, Pisces, Cioffi, Arcani, Berrilli, Cōpostae, Bonhomi. Anno 1255. Augusto mense, die Bartholomaeo Apostolo dicato, naualem pugnam describit Matthaeus è Iuuenatio, quatuor nauium, quarū vna Simonis Vintimilij Siculi erat, alia Paulonis Donursi, tertia Henrici Spatinfacciae Constantij, quae in nauim Anconitanā impetum fecerant, cū ad rem frumentariam comparandam Barolum appulisset. Procul etiam Venati mentio fit, qui cum Iosepho Dominomarino, & Sergio Mastroiudice Surrentinis, captiuus in ea naui ductus est.

*Puteolanae
familiae no-
biles.*

Venat.

CONSTANTIOS ex Germania cum Federico I. anno 1154. Puteolos aduenisse quis dubitat? Neapolim deindè sedes transtulere, in qua ea familia omnibus nobilitatis splendoribus, Regum familiaritate, Magistratum de-

*Constantij ex
Germania.*

Fulvius Constantius.

core, titulorum amplitudine emicuit. Cui tamen maxime addidit lumina Fulvius Constantius, in quo Neapolitana ciuitas omnia gloriae ornamenta collocauit, & qui praecclaro virtutis & comitatus encomio omnium in se ora conuertit, Philippis II. & III. charus, supremo Neapoli Magistratu, & Marchionatus titulo insignitus.

Marinus Boffa.

BOFFAM familiam Puteolanam, Marinus ille apud Ioannam Reginam Magni Cancellarij officio functus (quod ei munus delatum est anno 1415. dum Regina Regno posita esset) illustrauit, cuius deinde successores à Ioannella Extendarda quā vxorem acceperat, Extendardi dicti sunt. Procuratorem primo Francisci Sfortiae fuisse asserit Aelius Marchesius. Deinde Iurisconsultum. Eius matrimonij causa multa sibi oppida comparauit. Apud Facium, Alphonsus Rex castra in Nolanum mouens, inducias per aliquot dies fecit cum Marino Boffa, qui Vallem Caudinam occupauerat. Quem tamen ad Arpaia Castris positus, scalis admotis, propugnatoribus reiectis, vsus naualibus socijs quod in oppugnationibus eos perutiles esse arbitrabatur, captiuum duxit. Cumq. Argentium Regi dedisset, veniam impetrauit. Tanta cum Boffa & Renato Rege intercesserat necessitudo, vt diffidij inter Alphonsum & Ioannam, Boffam existiment fuisse auctorem.

Lib 5. de reb. gest. Alph.

EX CIOFFIS, Ioannes Andreas Praeses Regiae Camerae fuit sub Regibus Aragoneis. Paschalis verò apud Ioannam II. à Secretis fuit. Is cum Antonio Malitia Carrafa ad Pontificem Legato, calamitoso Reginae tempore, collega missus est. Qui ex Lygurino portu Florentiam, vbi Pontifex erat, profecti, cum auxilium frustra petijssent, aliud sibi consilium ineundum statuerunt. Alphonsus Aragonum Rex cōparata classe Cynnum insulam quae in Genuensium erat potestate, aggredi decreuit. Et accersitum Garfiam Cabalinium Valentinianum equitem, Legatum quoque ad Pontificem misit, qui belli causas aperiret, ne
animo

animo à se abalienato eum Pōtifex iudicaret. Cum hoc loquuti Carrafa & Cioffus, & in Sardiniam Regem adeuntes, Reginae calamitate exposita, Regni Neapolitani proposita felicitate, ad opem Reginae ferendam à coeteris bellicis apparatibus eum reuocarūt. Cioffus ex Sardinia Neapolim, indè in Populoniam vbi eum Malitia expectabat, septem dierum nauigatione appulit. Ad Regem in Sardiniam redire, & adoptionis voluntate patefacta negotium confecerūt. Sed dùm Cioffus praemittitur, vt omnia quae gesta fuerant Reginae & Neapolitanis nunciaret, ad Palaeopolim ab Aloisio Andegauensi qui Neapolim cum classe contendebat, captiuus factus est.

Ex coeteris familijs nihil certi habui, neque hoc tempore seruandae memoriae homines student cùm praecipuè scriptores nacti fuerint. Aliquorum praeterea Puteolanorum memoriam non praetereundam censui. Stephanus cognomento Partiuinacia, multa obtulit Ioanni Abati monasterij Sanctorum Anastasij, & Basilij (quod in Regione Neapolitana ad Melia situm erat) quod sub Basilio Magno, & Constantino eius fratre coniunctum erat monasterio Beatae Mariae quae ad Cappellam dicitur. Eius rei scripta ibidem seruantur. Marcum Pulicem, non parentum origo, sed virtutis gloria nobilitauit. Singulari certamine (praeter multa praeclarè gesta) inspectante Andrea Auria se accerrimum pugnatores ostendit. Gabriel à Fraia Ferdinando I. Regi M. & D. aureos mutuatus est. Brundusinae arcis idcirco praefectus. Et post eius obitum, Manfredoniae arcis Bartholomaeum filium praefecit, qui à Magno Consaluo, restituta pecunia, arcem Aragoneis restituit.

Afflic. decis.
375.

ECCLESIA PUTEOLANA.

Cap. XVII.



EMPLVM Augusto dicatum, à Christianis D. PROCVLO Martyri, Puteolanae Ecclesiae Diacono, sacrum, & maior Basilica cōstitutum est sub Diocletiano. Proculi ibidem seruatur corpus. Vrbis Patronū Puteolani maximo cultu venerantur. Hūc antea cum Eutichete & Acutio ciues transfulerāt in Praetorium Falcidij ad triuium quod S. Stephani cōiungitur aedi, vbi martyrio sunt coronati. D. CELSI, Petri Apostoli discipuli in eodem templo corpus colunt ex traditione. Tradunt ibidem esse corpora S. NICEAE Proculi matris de qua Petrus de Natalibus in Catalogo, *Proculus & Nicea mater eius, ipso die in ciuitate Puteoli martyrij palam percipiunt.* Tūc etiam corpus PATROBAE Puteolani Episcopi, vnus ex LXXII. discipulis cuius meminit Paulus ad Romanos, & cuius & Philologi natalis pridie nonas Nouembris celebratur. Citat Dorotheum in Synopsi Illustris. Baronius, qui Neapoli praefectum Episcopum tradit, licet Hyppolitus martyr, testetur fuisse creatum Episcopum Puteolanum. Non rectè de ONESIMO Pauli discipulo senserunt, qui Ephesiorum Episcopus creatus est post Timotheum. Romae lapidibus martyrium pertulit, ibique sepultus; indè Ephesum delatus. Qui QVARTVM Episcopum numerant (hinc ad Quartum locus & aedes) nescio cur ita diuinarint. Illud profectò maximae Puteolanorum laudi tribuitur, quòd inter primos CHRISTI fide fuerint initiati, cū D. Paulus Rhegio discedens, Puteolos profectus, ibi septem diebus fuerit commoratus; *Et cū venissemus Syracusam, mansimus ibi triduo. Indè circumlegentes deuenimus Rhegium; & post vnum diem flante Austro, secunda die*

uenimus

Lib. II. c. ult.

In Martyrol.

Lib. de 72. discip.

Aet. Apost. cap. 28.

venimus Puteolos, ubi inuentis fratribus rogati sumus, manere apud eos dies septem. & sic venimus Romam. Catenis vinctum Paulum Puteoli viderunt, qui doctrinae eloquio omnia antiquae legis aenigmata esset soluturus.

Audiuit Paulum praedicantem (quo enim pacto linguae & cordis facundiam praedicator eximius septem diebus continuisset?) oppidum Puteolanum, cuius antra nobiliora oracula quam fatidicae mulierculae responsa resonarunt. O beatos Puteolos, quibus quicquid Paulo Adrumeto per Asiam, per Aegeum, per Italiam nauiganti contigit, septem dierum consuetudine audiuerunt. Vidisse Augustos, praecclarum fuit, at augustissimum Christianae religionis principem habuisse omnem excedit amplitudinis opinionem.

S. Athemas.

A Petro quodam qui ad Stephanum Praesulem Ecclesiae Puteolanae huiusmodi scribit, *Venerabili Patri & sanctae Puteolanae Ecclesiae inclito Praesuli Domino Stephano, Petrus* & quae sequuntur, Arthemae scribitur passio quam incompositè editam prius asserit, & Stephani hortatu al cultiorem ab ipso stilo redactam, veluti Ambrosius S. Agnensis, & Aupertus S. Fortunatae gesta puriori ecclesiastico dogmate conscripserunt. Seruantur manuscripta Longobardis literis à Bartholomaeo Chioccarello. Hic Arthemae nobili genere natus, Cathigentae saecularium litterarum praeceptoris auditor, cum coeteris pueris ob singularem indolem à praeceptore praepositus esset ea docturus quae ipse didicerat, non tantum docebat quae à Christianis parentibus ipse audiebat, sanctissimae praecipue Trinitatis mysterium, quo puerorum animos imbuere laborabat. Et cum Cathigenta à Christiana religione eum reuocare nequiret, & ad Praesidem id detulisset, eo sic iubente, graphijs (gladij ferrei sunt quibus scribendo utebantur) puerum alij pueri occiderunt. Ex cuius martyrij constantia,
multi

multi ex Puteolanis ad fidem conuerſi ſunt. Martyrio coronatus eſt VI I. Calend. Februarij. Haec inter alia leguntur à Petro addita,

*Ergo benigne Pater, quia claro dogmate fulges,
Martyrium ſacrum praefati martyris almi
Sume ſagax placidè grates referendo tonanti,
Atque ſacrae plebi ſtudioſè tradere cura,
Gaudeat ut ſemper de vero dogmate ſacro,
Ac domino CHRISTO laudem decantet ouanter.*

Quae & ſimilia huiusmodi refero, ut niſi ſancta probauerit Eccleſia, improba ſunto. Libet tamen aliquandò quae ad aliorum fortaffe manus non peruenerunt in medium afferre ad ſanctorum gloriam.

Epifcopi.

Nulla ex noſtris vicinis Eccleſijs Epifcoporū ſeriem ſeruauit. Ideoq. nec ſacrarum rerum hiftoriam contexere poſſumus. Aliquos eo pacto quo licuit in numerum digerere ſtudiui ex tota Campania, veluti Puteolanos hoſce in hunc ordinem compuli.

IULIANVS, ſub Leone Pontifice, & Theodoſio & Valentiniano Imperatoribus, cùm Leo Theodoſium reprehendiſſet qui ex toto orbe Epifcopos Ephelum conuenire iuſſerat, nec digna videbatur cauſa qua Synodus Oecumenica eſſet celebranda, & tamen ab ea ſententia eum dimouere non potuiſſet, conſtituit Sanctus Pontifex, ut Eutichetem eiufq. fautores in ſua haereſi refrenaret, è latere Legatos mittere Ephelum ad Concilium, atque eiſdem ad Flauianum Conſtantinopolitanum epiftolas dare, qui cùm vniuerſa Synodo veritatē de Verbi Incarnatione decernerent. Ad tantam rem obeundam miſſi Iulianus Epifcopus Puteolanus, Renatus Cardinalis tituli S. Clementis, & Hilarius Diaconus Cardinalis. (lis.

THEODORVS, iſſdem ferè tēporibus. Lapis Puteo-

HIC REQUIESCIT S. THEODORVS EPISCOPVS
QVI DEPOSITVS EST III. ID. MAIAS CONS.
THEODOSI XV. ET VALENTINIANI IIII.

Misenatem hunc Episcopum plerique arbitrati sunt. Lapis tamen Puteolis est, & mortuo Leonardo Vairo à sordidis indoctisq. viris ad focum appositum, fractum, combustumq. reperi, à qua calamitate in haec scripta vindicaui.

STEPHANVS. Hic ille est ad quem scripsit Petrus.

CLAVDIVS, sub Hilario in Romano Concilio, anno 471.

AVCVPIVS, cuius mentio fit in Concilio sub Symmacho, & cum eo subscribunt Stephanus Episcopus Neapolitanus, Adeodatus Formiensis, & Rosarius Surrentinus, anno 517.

MATTHAEVS. Huic Episcopo, à Carolo I. Neapolitanorū Rege praecipitur, vt decimae soluātur anno 1274.

A. EPISCOPVS. Sic legitur in eiusdem Actis anno 1284. *Venerabilis Pater I. Episcopus Insulae Caprearum, & Dominus A. Episcopus Puteolanus.*

IOANNES Brito. In iisdem Actis anno 1288. *Die Dominico 14. Aprilis. Ista die fuit consecratus Dominus Ioannes Brito Episcopus Puteoli, & comederunt cum domino Rege, dominus Cancellarius, & plures alij Praelati & Clerici.*

NICOLAUS Sconditus. In Choro Basilicae Puteolanae,

.... IACET CORPVS REVER. DNI DNI NICOLAI SCONDITI DEI ET APOSTOLICAE.

..... PVTEOLANI QVI OBIIT AN. D.

M. CCC. VIII. ... MENSIS SEPTEMBRIS.

G. EPISCOPVS. Sic in Actis; anno 1314. *Ioanni Manenti de Sallone, venerabilis P. fratris G. Puteolani Episcopi, Sanciae Reginae Confessoris, annua pensio vnciarū 20. conceditur.*

Anno 1327. Ludouico Bauariae Duci Regnum Neapolitanum inuasuro, Episcopus & Capitulum Puteolanum opem tulerunt.

LAVRENTIVS. Anno 1410. in Statutis Collegij Theologorū Neap. vrbis, institutis sub Ladislao Rege, editis à Nicolao Muczapede Aquilano Regni Siciliae Cancellario, & confirmatis ab Leonardo de Afflicto eiusdem quoq; Regni Cancellario, inter alios Episcopos, Magister Laurétius de Neapoli est ordinis Heremitarum S. August. Puteolanus Episcopus, deindè Tricaricensis.

ALOISIVS de Constantio.

ANTONIVS Iaconia. In eadem Basilica eius memoriae lapis dicatus est,

ANTONIVS IACONIA LICIENSIS EPS PVTEOL.
MAIORQ. REGINALIS CAPPELLANVS LXX.
ANNIS CVM OMNI VITAE INEGRITATE VIXIT
SVAM PONTIFICIAM DIGNITATEM XX. ANNOS
OFFICIOSE GESSIT VITAE MVNERE DEFVN-
CTVS M.D.XV. CHRISTI ANNO VERO
III. SANCTISS. PAPAE LEONIS CONDITVR
TAMEN HIC SIBI TVMVLVS VBI SVOS INSI-
GNES SVARVM VIRTVTVM TITVLOS ETIAM
POST FVNERA SERVAT OMNES HIC IN CHRI-
STO LEGENTES VALETE ET PRO EO SEMPER
IPSVM ORATE.

SIMON de Vernaculis, anno 1519.

I. MATTHAEVS Castaldus, xliiiii. annos Ecclesiae Puteolanae praefuit ex familia Oliuetana monachus. Antè Basilicae fores iacet epigramma.

TEMPLVM IOVIA CALPV RNIO L. F. PRIVS
DEINDE D. PROCVLO DICATVM
MIRABILI TERRAEMOTV AC MEMORABILI
INCENDIO PENE COLLAPSV M ANNO D.
M. D. XXXVIII.

IOANNES MATTHAEVS CASTALDVS
PVTEOLANVS ANTISTES INSTAVRAVIT.
LEONARDVS Vairus, Beneuentanus Canonicus
Regu-

Regularis, inter Collegij Neapolitani Theologos adscriptus anno 1570. Philippo II. Regi cui aliquot annos in Hispania sacra fecit, ob singulares animi dotes, maximè acceptus. Ecclesiam Puteolanā ornamentis, relligione, reditu plurimū auxit, cū nunquam Episcopatus iura diminui passus fuerit, quamobrem cum Neapolitano Archiepiscopo acerrimè contendit, & victor euasit. Scripsit de Fascino libros tres in quibus & stili cultus, & doctrinae veritas elucet. Obijt anno 1603. pridie nonas Decembris.

DE LUCRINO LACU, ET PORTU

Iulio. Cap. XVIII.

Ostrea.



VCRINVS Lacus Ostreorum piscatione celeberrimus; *ὅσπερ ὁ στρεῶν δεθίρων ἔχων ἀφθονοτάτω*, inquit Strabo. Ideoq. Varro, in nuptijs eos commendat,

Tunc nuptiae videbant Ostreas Lucrinas.

Et ad omnem voluptatem Martialis,

Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino.

Idemq.

Puella senior, dulcior mihi Cygnis,

Agna Galefi mollior Phalantini,

Concha Lucrini delicatior stagni.

& alibi,

Non omnis laudem pretiumq. Aurata meretur,

Sed cuius erit Concha Lucrina cibus.

Et quāvis Clemens Alexandrinus, Ostrea Abydena gulosis exprobret, & Licinius Mutianus sic multa genera laudet, *Cyzicena maiora Lucrinis, dulciora Brittannis, suauiora Edulis, acriora Lepticiis, pleniora Lucensibus, sicciora Coryphan-*

Ostrea varijs in locis.

Lib. 22. c. 6.

tenis, teneriora Istricis, candidiora Circeiensibus; & Plinius palmam tributam dicat ijs Ostreis quae suprà Rhodani ostia in

lacu *σομαλίμνης* appellato nascuntur; & Catullus laudet quae sunt in Hellesponto,

colit ora

Hellespontiacae, coeteris ostreosior oris;

Et Lucanus quae in Chalcedone,

ostiferum dirimat Chalcedone cursu;

Dialogus Asellij Sabini.

Lucrina tamen omnibus antecelluisse, Romani luxus magnificentia demonstravit. Suetonius Tiberium, ait, Asellio Sabino donasse CC HS pro Dialogo in quo Boleti, Ficedulae, Ostreae & Turdi certamen induxerat, quae omnia mensarum erant praecipua condimenta. Lascium idcirco lacum appellat Martialis,

Lib. 1. epig. 137.

Dum nos blanda tenent lascivi stagna Lucrini.

Portus Iulius.

Plinius à Lucrino Tyrrhenum mare seclusum ait, quod inter Italiae miracula collocat. Id quidem PORTU IULIO factum est, cuius adhuc antè Lucrinum vestigia extant, adhuc conspiciuntur faxa quae ad molem muniendam iaciebantur. Errantq. proculdubio qui ad Misenum Portum Iulium fuisse contendunt. Quid enim Virgilij verba innuunt?

Lucrinoq. addita claustra?

Atque indignatum magnis stridoribus aequor?

Iulia quæ ponto longè sonat unda refuso

Tyrrhenusq. fretis immittitur aestus Auernis.

Vbi Seruius ait; In Baiano sinu Campaniae contra Puteolam ciuitatem Lacus sunt duo, Anernus & Lucrinus, qui olim propter copiam piscium vestigia magna praestabant. Sed cum maris impetus plerumque perumpens exinde pisces excluderet, & Redemptores graua damna paterentur, supplicauerunt Senatui. Et profectus Caesar, ductis brachijs, exclusit partem maris, quae antea infesta esse consueuerat, reliquitq. breue spaciū per Auernum, quo & copia piscium posset intrare, & fluctus non essent molesti, quod opus Iulium dictum est. Reprehenditur à Beroaldo quod Iulium Caesarem Dictatorem intellexit. Reprehenditur à Suetonio qui de Augusto ait; Viginti seruorum milli-

Portus Iulius à quo aedificatus.

bus

bus manumissis, & ad remum datis, Portum Iulium apud Baias immisso in Lucrinum & Auernum Lacum mari, effecit. Iuuenalis sic describit, cùm antea dixisset,

tum gratus Iulo &c.

Lib. 4. Saty.

12.

Tandem intrat posita inclusa per aequora moles
Tyrrhenamq. Pharon, porrectaq. brachia rursus
Quae pelago currunt medio, longèq. relinquunt
Italiam; non sic igitur mirabere portus
Quos natura dedit

Miror Ioannem Brittanicum, portum hunc Hostiensem intelligere magnis molibus à Claudio extructum, quem à Diuo Iulio saepius destinatum scribit Suetonius, cùm subdat Iuuenalis,

Hostiensis
portus.

sed trunca puppe magister
Interiora petit Baianae peruia cymbae
Tuti stagna sinus

Portum natura factum fortasse intelligens, quem ad Misenum parauit Agrippa, quem in medijs vndis aedificando laude superauit Augustus. Phari in eorum altero brachio vestigia conspiciuntur. Et Iulium appellasse existimarem, maternum genus respicientem. Sic enim Sextus Aurelius; Octavianus patre Octauio Senatore genitus, maternum genus ab Aenea Iuliam familiam sortitus. Vel quoniam à Iulio Caesare fuerat excogitatus vt ait Lambinus in illud Horatii in Poetica,

Iulius à genere materno.

siue receptus
Terra Neptunus classes Aquilonibus arce
Regis opus, sterilisue diu palus aptaq. remis
Vicinas orbes alit

Petrarcha in Itinerario scribit à Iulio conditum, ab Augusto immutatum. Strabo verò, ο' δὲ Λοκρινὸς κόλπος πλατύνεται μέχρι Βαίων, χώματι εὐργόμενος ἀπὸ τῆς ἔξω θαλάσσης ὀκτασάδιον τὸ μῆκος, πλάτος δὲ ἀμαξίτου πλατεῖς, ὃ φασὶν Ἡρακλῆα διαχῶσαι, τὰς βοῦς ἐλαύνοντα τὰς Γηρυόνας δεχόμενον δ' ἐπιπολὴς τὸ κύμα τοῖς χειμῶσιν ὥστε μὴ πεζεύεσθαι ῥαδίως, Ἀγρίππας ἐπεσκεύασεν. εἰσπλοῦν δ' ἔχει πλοίοις ἐν αὐτοῖς, ἐνορμίσασθαι μὲν ἄχρηστος, τῶν ὁσρέων δὲ θήραν ἔχων ἀφθονοτάτῃ.

Εἴρη

Εἶναι δὲ τοῦτον αὐτὸν, πλὴν λίμνην εἶναι πλὴν Ἀχερουσίας φασί. Porro *Lucrinus sinus in latum producitur usque ad Baias, interclusus ab extremo mari aggere longo stadia VIII. tanta latitudine, quantam lati currus orbita occupat, Eum aggerem aiunt ab Hercule factum dum in Geryonis boues ageret. Cum autem tempestatibus mare agitantibus undas multis locis admitteret, & difficulter terrestri itinere posset peragrari, ab Agrippa est quod deerat structuræ additum. Naues admittit leues, stationi inutilis, sed capturam ostreorum habet copiosissimam. Nihil de portu Strabo scribit, sed de stagno tantum, à quo ad Baias ab Hercule ad littus via producta fuerat, quam Agrippa instaurauit. Quod iter his verbis commemorat Silius Italicus, qui & Cocytum appellatum fuisse à veteribus Lucrinum scribit,*

Lib. 12.

Cocytus dictus est Lucrinus.

*Ast hic Lucrino mansisse vocabula quondam
Cocyti memorat, medioq. in gurgite ponti
Herculeum commendat iter, quæ dispulit aequor
Amphityoniades armenti victor Iberi.*

*Lucrinus boni nominis omen.
Lib. 1. de nat. Deor.*

Lycophron in Cassandra, Lucrini mentionem facit. Hoc tamen non praetereundum, tam boni nominis Lucrinum lacum apud Romanos fuisse, ut primus nominaretur in vectigalibus, veluti ut primus miles fieret bono nomine obseruabant Consules, ut ait Cicero. Et Festus; *Lacus Lucrinus in vectigalibus publicis primus locatur eruendus, ominis boni gratia, ut in dilectu censuè primi nominatur Valerius, Saluius, Statorius.* Huius lacus diuitias vnà cum Tripergulae, vel

Trisopotum.

Xenodochiū.

Lucrini pars D. Benedicto data.

Trispoti delicijs, quo in loco arx, thermae, & aedificia plurima erant, cinerei montis subita exhalatio miserrimè contumulauit. Perijt quoque pauperum praesidium quippe Xenodochium ibi conditum fuerat à Carolo Illustri anno 1307. quod D. Marthae dicatum, agri Cumani partem praeter coetera possidebat. In vita Placidi scribit Gordianus, à Tertullo Romae patricio dimidiam lacus Lucrini partem, & insulam Caprariam (ut ipse loquitur, Capreas autem intelligit) in salo Neapolitano, B. Benedicto dono datas cum eum ad Cassinum inuississet. Sic enim Surius, mense Octobri 522. A lucro, Lucrinum dictum esse, cum coeteris

ris

ris confirmat Ioannes Boccacius ; *Lucrinus lacus est Campaniae inter Misenum Baiarumq. caput, & Euboicas Cumas . Lucrinus ut veteres dicunt, à lucro dictus, nam cum in eodem multitudo magna piscium caperetur, ex quibus maximum mercatores consequebantur lucrum, Lucrinus dictus est.*

Lib.9 cap.8.

Delphini amor.

Quae Plinius de Delphino in hoc lacu pueri amasio narrat, quæ ex Baiano Puteolos in ludū litterarium dorso ferebat, quòd cum Simonem appellauerit, & panis fragmento, allexerit, & hoc nomine appellatum in Gallia Narbonensi quasi in hominū societatem adscitum, saepenumero piscari asserit Plinius, qui voluerint credāt. Moecenatis, Flauiani, & Flauij Alsij testimonio illud cōprobat. Appionem eius rei testem citat Agellius, & aliquot seculis antè apud Naupactum Theophrasti auctoritate Delphinos amatores fuisse cognitos scribit . Appion vero ex Aegyptiacorum libro 5. narrat historiam cui est initium, *περὶ Δικαιαρχείαν δελφῖνα ἐρωῶντα παῖδος, καὶ πρὸς παιδικῶ ἐπισημένον φωνῶν*, & quae sequuntur cōtra Aristotelis opinionem qui lib. 4. Historiarum nullum esse piscem dicit qui habeat *φωνῶν* sed tantum *Ψόφον* quendam aut *τρισμῶν*, *strepitum & stridorem*. Et quamuis linguam habeat, non tamen ita soluta & articulata est, ut vocem edere possit. Atque adijcit rem non minus mirandam, puero mortuo, neque ad littus accedente, eius obitum animaduertisse Delphinum, atque esse exanimatum, & in sui pueri sepulcro humatum. Solinus per multos annos tandiū gestum esse puerum narrat, donec assiduo spectaculo defineret miraculum esse quod gerebatur. Haec quidem est illa *φιλοπαυδία* apud multos auctores, ideoq. amasij, veneri, lasciuientes dicuntur. Fabulā scripsisse Herodotum de Arione idem Agellius ait. Et ut fabulam cōmentus est Ouidius,

Lib.7. cap.8.

Herodot. lib. 1.

Indè (fide maius) terga Delphina recuruo

Se memorant oneri supposuisse nouo.

Ille

*Ille sedet cytharamq. tenet, pretiumq. vehendi
Cantat, & aequoreas carmine multet aquas.
Dij pia facta vident; astris Delphina recepit
Iuppiter, & stellas iussit habere nouem.*

*Pausanias de
De phino.*

Et fabulam narrare mihi visus est Pausanias, qui Delphinum Melicertae cadauer extulisse in littus, & Phalantum in Italiam transfuehisse scribit. Et tamen audacter hoc commemorat in Laconicis se vidisse, Τὸν ἐν Προσελλυῇ Δελφῖνα τῷ παιδὶ σωστὰ ἀποδιδόντα, ὅτι συγκοπέντα ὑπὸ ἀλιέων αὐτὸν ἰάσατο, τοῦτον δὲ Δελφῖνα εἶδον, καὶ καλοῦσαι τὸ παιδὶ ὑπακούοντα, καὶ φέροντα ὅποτε πο-
χεῖσθαι οἱ βούλοιο; *Ego sanè in Proselene delphinum vidi, qui puero à quo sanatus fuerat cùm à piscatoribus vulnus accepisset quasi mercedem curationis penderet, dicto se audientem praebebat, & eundem quocunque ille iussisset dorso transfuebebat.* Quid si in hac re Graecus fuit Pausanias? Ad easdem nugas accessit Aristoteles qui mortuum Delphinum ab alijs in summa pelagi dorso euectum scribit, ne ab aliqua marina bellua deuoraretur. Et Aelianus lib. 16. c. 6. eos pisces mortuorum memoriam non abijcere contendit, & ad summam eos aquam alleuare, vt hominibus sepeliendos tradant. Quasi vero cū piscibus loquutus, eorum didicerit ritus. Quid de puero Iasense somniant? Quid de Leucothea ad Corinthum à Delphino exposita? Quod monstrum de Caerano narrat, & de naui quae naufragium fecit Plutarchus? Et de Palae-mone Delphino insistente? Oppianus in Halieuticis pro parricida & impio eum habet qui Delphinū occiderit, hominem enim ab eo pisce obseruari existimabant. Ideoque Epigrammatarius.

ἔσθον εὐσεβέος

Quare idem Oppianus fabulatus est homines à Dionysio in pisces mutatos esse. Ab hominum tamen eum piscem consuetudine non abhorrere, quotidiana nos docet experientia, quandò naues atque cymbas videntur comitari, & ferè cum nauigantibus colloqui.

NOVI MONTIS ERUPTIO.

Cap. XIX.



ANTIQUARVM rerum monumenta Puteolis, eam habent admirationem, quam quae Romae sunt reliqua, quae maximum animo & oculis afferunt stuporem. At verò quae in ijs locis aut ignes, aut thermae, aut montes obijciunt, omnem superare admirationem facile videntur. Quid admirabilius monte illo cinereo, qui vnius diei noctisq. spacio, tantum creuit, vt cum alijs circum montibus contendat? Anno siquidem 1538. cum antea biennio Puteolana regio maximis terraemotibus fuisset agitata, cumq. viginti perpetuis diebus loci adiacentes, atque ita vt domus nulla superesset, integra, & quae proximam non minaretur ruinam; pridie Cal. Octobois, qui dies Michaeli Archangelo sacer est, prima noctis vigilia (vt Antonius à Falconibus, & Simon Portius scribunt) terrae cumulus erectus est, cum prius mare CC. passibus recessisset, accolis piscium copiam capientibus, & dulcium aquarum scaturigine erumpente, nascentis subito montis figuram imitatus. Aperto deinde veluti ore miros euomit ignes, lapides, tantumq. foedi cineris, & pumicum, vt obruerint aedificia, & frugibus atque arboribus ad vi. vsque lapidem funestam iacturam intulerint, pendentemq. vindemiam verterint in cinerem, dum necata iumenta passim iacerent, & Puteolani cum liberis & vxoribus, nudi, squalidi, lugentes, calamitatem detestantes Neapolim se reciperent. Barbarorum maximas Puteolani iniurias pertulere; hanc autem quam natura ipsa intulit, & perferre coacti sunt, obliuioni nunquam tradent, & iniuriae testem coram oculis montem ipsum quotidie contemplantur.

tur. Hieronymus Borgius in carmine ad Paulum III. sic deplorauit.

*Quis fumus turpat niger ora nitentia Solis ?
Sulphureis tenebrofa palus effusa cauernis
Fluctuat Aetneis eructans altius ignes.
Nunquid Auernales Phlegeton prorupit in undas
Terribiles fluctus & saxa sonantia torquens ?
BAIANAE reboant undae simul agmen aquarum
Dulce fluit, celeri fugiens contraria cursu.
Excidit è tremula Miseno buccina dextra
Rauca sonans, metuit rursus Prochyta aegra ruinam.
Eruta visceribus fumantis murmura terrae
Horrificis complent piceas mugitibus auras.
Tristis ab occasu facies, & torua minatur,
Vndè lues Latias infecit tetrrior vrbes,
Tùm quae saxa furens ingentiâ saepè sub altum
Spiritus emittit coelum ceû Circinus orbem
Amphitheatralem struxere ad multa repente
Millia, saxosos reuomente voragine fluctus.*

Voragineum appellat Porcius cinerem illum & ficcum, sed longè lutosum & humidum cecidisse scribit, ad lx. ferè passuum millia ; illudq. superare omnem admirationem, montem circum eam voraginem ex pumicibus & cinere M. passuum & eo amplius altitudine vna nocte esse cōgestum, & ex multis quae in eo inerant spiramenta, duo eius aetate superfuisset alterum iuxtà littus ad Auernum procurrens, alterum in ipso montis medio, atque durare ad eam vsquè diem incendium, quod tamen intermitteretur aliquandò. Deindè rem physicam considerans, multa profert quae ad Meteorologica, & ad Astrologiam pertinent, illudq. potissimùm, quòd cum porosum littus illud fuerit, & cauenosum, facilè exhalationes motu velocissimo raptae, materiam in ea regione bituminosam atque perustam inflammant, & propulsam eiecerunt hiatum illum efficientes. Quòd autem mare recesserit, exhalationibus tribuendum, quae

quae exire volentes , terram rarefecerunt , & veluti sitiens aquam per rimulas haufit . Ardebatq. materia bituminis , propterea quòd quae iuxtà fcatebāt aquae , calidae erant , & exhalationum impetu, incendio robur est additum. Idem contigisse scribit Aristoteles in Ponto Heracleae. Magnos quoque eructauit ignes Vesuius sub Tito. In Arime quoque Insula L. Martio & Sex. Iulio Coss. in Epomeo , apertum incendium maxima voragine.

Georgius Agricola ait , manifesta montium incendia, si perpetua sint , intelligere nos nullam esse obstructionē viarum per quas modò quasi fluuium quendam ignis , modò flammās, nunc verò tantum fumum euomunt. Sin per temporum interualla increfcunt, internis vijs occlusis, eius viscera nihilominus ardere; superioris autem partis incendia propter fomitis inopiam nonnihil ad tempus remittere. At vbi spiritus vehemētior rursus reclusis vijs ijsdem, vel alijs, è carcere magna vi erumpit, cineres, arenam, sulphur, pumices, massas, quae ferri habent speciem, saxa, aliasq. materias foras eijcere; cuius exemplum mōtis Aetnae incendium , & multò maximum , mōs nouus ad Auernum. Idem motū nullo hiatu factò , molem egerere dicit; qui ipse quidem proprio caret nomine , sed opus ἀναφύσσημα Graeci nominant , quòd ipsi inflato sint plerunq; spiracula , quomodo tumulus propè Troezena ortus est , & hic mons nouus, multaeq. Insulae enatae (vt arbitrantur) Delos, Rhodus, Anaphe, Nea, Thera, Theresia, Aenaria. Afferit montem spiraculis fuisse plenum iam tū cū enatus est . intus flagrare & fremere , fumumq. multis in locis emittere , in quibusdam etiam riuulos effundere calidissimos, & descendere in craterem nonnullos tentasse , qui misere perierunt. Hoc tempore crater hortus est . Sic autem philosophatur , Lib. 6.
Lucretius ,

Scire igitur licet innumeras vastasq. cauernas

Sub terris esse , atque illic quandoque creari

*Ingentes ventos : qui dùm crudelia miscent
 Proelia , concutiunt terram , nimioq. furore
 Congressi euertunt totis cum moenib. vrbes.
 Donec parte aliqua erumpunt facto agmine, & auras
 Diffusi in vacuas non longa pace quiescunt.
 Gignuntur verò hi venti telluris in aluo
 Ex fumis , quos vicina trahit ignis ab vnda.
 Quippe ignes in se muleos magnosq. perenni
 Tempore nutrit humus (dictu mirabile) sed non
 Falsa tamen refero ; credet qui viderit Aetnam,
 Qui latebras calidarum vsquam spectarit aquarum ;*

Qui nempe Puteolos viderit , multis anfractibus cauer-
 nosos, venis & poris peruios , vbi spiritus vehemētes aqua-
 rum concursum motumq. concitant ; vbiq. collisi inter saxa
 venti efferuescunt , ignesq. incendunt maximos . Et miror
 profectò cur in ea regione huiusmodi montes saepiùs non
 exiliant. Virgilius grandiloquo suo more loquutus eā ignis
 vim sic exprimit ,

— sed horrificis iuxta tonat antra ruinis ,
*Interdumq. atram prorumpit ad aethera nubem
 Turbine fumantem piceo , & candente fauilla,
 Attollitq. globos flammarum, & sidera lambit,
 Interdum scopulos, auulsaq. viscera montis
 Erigit eructans, liquefactaq. saxa sub auras
 Cum gemitu glomerat ———*

Silius verborum & sententiarum magnitudine, proximè vi-
 detur accedere ,

———— tellus atro exundante vapore
*Suspirans , vstisq. diù calefacta medullis
 Aestuat, & Stygios exhalat in aëra flatus.
 Parturit , & tremulis metuendum exhibilat antris ,
 Interdumq. cauas iuctatus rumpere sedes
 Antexire foras , sonitu lugubre minaci
 Mulciber immugit, lacerataq. viscera terrae
 Mandit, & exesos labefactat murmure montes.*

Unable to display this page

*Nunc age Auerna quae sint loca cunque lacusq.
Expediam, quali natura praedita consistit*

Et Virgilius, ——— & *Auerna per alta
Congressus ———*

Lib. 6.

Et Aristoteles lib. *περί θαύματος ἀκουσμ.* quandam Auernam paludem describit, non longè ab Insulis Electridibus, fluuiioq. Eridano in Epiro cuius aquae calidae odorem exhalant grauem & tetrum; in qua nec animal vllum bibat, neque auis volet; quod si volare conata fuerit, continuò in eam decidat & intereat. Hinc, *Αορνα*, sine auibus.

Virgilius, *Quam super haud vllae poterant impunè volantes
Tendere iter pennis, talis se balitus atris
Faucibus effundens supera ad conuexa ferebat
Vnde locum Graij dixerunt nomine Auernum.*

Dixerat quoque antea Lucretius,

Lib. 6.

*Principio quod Auerna vocantur, nomen id ab re,
Impositum est, quia sunt auibus contraria cunctis
E regione ea, quod loca cum aduenere volanteis
Remigij oblitae pennarum vela remittunt,
Praecipitesq. cadunt, molli ceruice profusae
In terram, si fortè ita fert natura locorum,
Aut in aquam, si fortè lacus substratus Auerno est.*

Tzetzes ait aliquos scripisse, Auernum calidum esse lacum ramosum, ibiq. esse quae ad Phaetontem pertinent, & Electrum nasci. Alios in Alexandri gestis, montem fecisse Auernum qui *xiiii.* stadiorum altitudinem contineret, à quo ob frigiditatem aues abhorrebant. Sotionem, Agathostenem, Dionem, coeterosq. historicos, non lacum, neque montem, sed Os quoddam dixisse apud Diabenem Mesopotamiae & Syriae regionem propè Asphaltitidem lacum. Quasi verò ex eo Naphtha emanaret. Et Pausanias in his quae de Thracio Orpheo scribit, ait credidisse aliquos illum ad Auernum Thesprotiae mortua vxore venisse, quod ibi peruetus esset oraculum per vmbrarum euocationem

nem, ibiq. Eurydicis animam sequutum, & deceptum, sibi ipsi mortem consciuisse. Quis diuinare poterit, an hac de causa Laberius apud Agellium lib. 11. cap. 5. in lacu Averno dixerit pro amante muliere, *Amor abundam?*

Necya.

Ea propter cuique Auerno Necromantia cum maximo humanae prudētiaē dedecore applicarunt. Et de nostro loquens Strabo; ἐμύθεον ἐν τῷ Λόρνῳ τὰ περὶ τῶν νεκρῶν τῶν Ὀμηρικῶν; quandò aiebant mortuos ibi responsa dare, ideòq. Vlyssēm eò aduenisse. Vlyssis verò Auernum apud Cimmerios ad Bosphorum Cimmerium, ad Septentrionem describit Homerus, ad cuius imitationem Virgilius hunc Auernum Aeneae explicauit. Quod verò detestabilis Magiae genus ab Homero narratur? quāenam fabulae? quid à Christiana religione magis abhorrens?

Cimmerij Septentrionales.

Homerine-cya.

Ἀμφ' αὐτῷ δὲ χοὰς χέομεν &c.

Scrobem fodi cubitalem quoquo versus;

Odyss. 11.

Circà eam autem libamina fundebamus omnib. Manibus

Primum mulso, postea vero dulci vino,

Tertium vero aqua, insuper farinam albam commiscui.

Multum autem precatus sum mortuorum infirma capita etc.

Et si alij addiderint lac, oleum, spumam Canum, Lyn-
cis viscera, oculos Draconum. Quae veluti placentae in
ignem conijciebātur. Euripides de placenta & Scrobe Me-
nelaum loquentem inducit,

Σὲ τῶ ὄρυγμα δεινὸν ἡμιλλημένῳ

Τύμβυο καλῶ κὶ δ' ἐμπόρους τ' ὀρθοστατάς.

Μεῖνον τί φεύγεις; —————

Te festinantem ad terribilem fossam

Sepulcri, & ad sacras placentas in ignem coniectas voco.

Mane. Quid fugis?

Nigrarum deindè pecudū sanguine fossa implebatur, quae
Herois ense fodiebatur; & horum suffitu corporibus iungi
animas

animas credebant, futura hoc pacto praedicentes. sic enim ibidem de Tiresia ,

Αἷματος ὄφρα πίω , καὶ ταὶ νημερτέα εἶπω.

Sanguinem at bibam , & tibi vera dieam.

2. Tuf.

Platonis spi-
acula.

Idcirò *Ψυχομαντεῖαν* in hoc Auerni lacu fuisse scribit Cice-
ro , Appiusq. *νεκρομαντεῖα* illic facere solebat . Eam Virgilio
causam fuisse , inquit Turnebus , fingendi Aeneam per
Auernum ad inferos descendisse , quòd esse crederentur il-
lic Plutonis spiracula animas remittentia Magico ministe-
rio , & retrò recipientia . Sed in ea parte Italiae (inquit
Max. Tyrius ferm. 6.) quae Magna Graecia dicitur, apud
Lacum cognomine Auernum , diuinatorium antrum fuit ,
antriq. ipsius Sacerdotes ductores animarum ab ipsa re de-
nominati ; quò qui oraculi causa venisset , praecatione in
primis facta, victimis caesis, liquoribusq. effusis, vel patris,
vel amici cuiuspiam animam excitabat ab inferis . Hinc
Aeneae quoq; cum Sibylla ad eum Lacum cōgressus, hinc
etiam Scrophae diuinatio, quam à Lacu Auerno dimissam,
scribit Messala Coruinus lib. de Augusti progenie, conden-
dae Urbis locum demonstraturam . Quae ad ripam Tybri-
dis confedit , & Scrophae vexillum tunc elatum , de quo
Virgilius ,

Vide age, & ingentem factis fer ad aethera Troiam.

Lib. 48.

Simulacrum
Calipsus.

Terminalis
Deus.

Quam vanitatem coarguit Augustus excisis filuis, quae
caliginosum & obscurum reddebant locum . Quod Agrip-
pae opera factū scribit Dio; idemq. refert tunc supra Auer-
num simulacrum quoddam sudore tāquam humano reple-
tum inuentum esse . Id CALIPSVS fuisse existimant cui
sacrum locum illum esse dicebant , quamquam & Termi-
nalem quoq; Deū ibi constituat Lycophron , qui de Auer-
no loquens subdidit, in Calsandra,

ἐνθα Τερμινεύς
Ὀρκωμότους ἔτευξεν ἀφθίτοις ἔδρας

ubi Terminalis

Iusiurandi constituit Djs sedes —

Termi-

Terminalis siquidem Iuppiter dicitur, *ὡς ἀρχὴ καὶ τέλος πάντων*. Ad eas superstitiones obeundas, Annibal quoque ad Auernum hunc accessit vt sacrificaret, quod scribit Liuius. *Annibal ad Auernum. Lib. 4. De. 3.* Tunc sanè truculentior ne atq; horridior fuerit barbari viri, an Auerni aspectus, ignoro. Ad eum tamen tunc quinque iuuenes nobiles Tarento venerunt ad Thrasimenū & Cannas capti, & maxima comitate ad domos sunt dimissi. Diti sacrum fuisse locum hac de causa idem Strabo ait, & Orci *Orci ostium.* ibi ostium esse credebant. Cicero 1. Tusculana è vetere poeta,

Indè in vicinia nostra Auerni lacus

Vndè animae excitantur obscura umbra, aperto ostio

Alti Acherontis ———

Quod Manalem quoq; lapidem fuisse appellatum ait Festus. Et, Manium postem, etiam dictum reperi. In locis pestilentibus ostium Orci esse dicebant. Plautus Trinummo,

Acherontis ostium in nostro est agro.

Lib. 6.

& Lucretius, *Ianua nec puteis Orci regionibus illis*

Credatur ———

& licet Virg dicat, ——— *quando hic inferni ianua Ditis*

Lib. 6.

Dicitur ———

Non tamen illud intelligebat, hunc tantum Auernum inferni fuisse ianuam. Nam cum animas omnes ad inferos descendere putarent, multis in locis Orci ostium esse credebant, quibusuis scilicet locis pestilentibus, vt quae spiracula erant quae foeditate, & grauitate animam extorquerent. Arnobius, scribit Protumnum quendam ignominiosum Dei amatorem, Ianuam Ditis, atque Acherusiae aditum pollicitum esse indicaturum Libero Semeleio, si sibi facilis ille Deus morem gereret.

Lib. 5. contra gentes.

Sed quae à Latinis Ostia Ditis nominantur, ea Graeci

Πλουτώνεια, & χαρώνεια dicunt. Plinius, *In Sinuessano agro & Puteolano Spiracula vocant, alij Charoneas Scrobes mortiferum.* *Lib. 2. c. 93.*

Spiritus exhalantes. Et Cicero, *Non videmus, quàm sunt varia terrarium genera, ex quibus mortifera quaedam pars est, vt &*

Lib 1 de Diu.

N

Ampsancti,

*Problem.
Pyriphlegeton*

Ampsanēti. & in Asia Plutonia quae videmus. Aristoteles totum illum tractum quondam Pyriphlegetontem appellari solitum scribit, qui deindè haec de Auerno nostro; *Περὶ τῷ Κύμῳ περὶ Ἰταλίαν λίμνη ὅστις ἡ προσαγορευμένη Αἰρνος. ὅτι κείνη γὰρ λέγουσι περὶ αὐτὴν λόφους κύκλῳ τὸ ὕψος οὐκ ἑλαπὼν τριῶν σταδίων, καὶ αὐτῷ ἔξῃ τῆς γῆς ματι κυκλοτερῆ, τὸ βάθος ἔχουσιν ἀνυπέρβλητον; Apud Italas Cumas Lacus est Auernus appellatus forma circulari, profunditate immensa tumulis undique septus, trium ad minus stadiorum altitudine.*

Aorni varij.

Subdidit nihil habere admiratione dignum. Hoc tamen ibi esse mirandum, quòd densissimis circumpositis arboribus nullum in lacu cernitur natans folium. Aquarum puritati illud videtur tribuere. Eundem vocat *Αορνείτον* Antigonus, apud quem vide elegantem Timei locum. Pyriphlegetontem etiam in Auerno cum Oraculo cōmemorant alij (quapropter Apollinis templum ibi collocant) ex aquis calidis Acherusiae vicinis, & vicinum aquae potabilis fontem, à qua omnes abstinebant Stygis aquam putantes. In Epiro locus Aornus quoque dicitur qui pestilenti exhalatione insignis, non finit volucres coelo frui libero. In India nō procul à Nyfa, Saxum, est Aornum. Et quaedam exhalationes & si terra nullos habeat specus, animantes solent necare, vt Lepores Ithaca, Noctuas Creta, Canes Sigarus, Scorpiones Galata circa Africam.

Lucretij locus de Auerno.

Lib. 6.

Cùm de Auerno loquutus est Lucretius,
*Is locus est Cumas apud, Etruscos & montes
Pompeij calidis ubi fumant fontibus aucti,*

*Aduers. lib.
22. cap. 19.*

locum corruptum existimat Turnebus, quid enim Auerno cum Etruria? atque legit,

— *Cumas apud Ocris Vipera montis;*

Quae lectio Sibyllae interpretatione & Oraculo indiget. Neq; huiusmodi loquutus est Lucretius vt Oscan linguam redoleret, vt Ocris, montē confragosum significaret, & Vipera exitiosum & pestilētem locum. Rectius aliqui legunt,

Cumas

— *Cumas apud montemq. Misenum,*
 vel, ——— *montemq. Vesuvium,*

propterea quòd Pompeios deindè videtur commemorare. Antiquam ipse lectionem retinerem, vt Etruscus mons sulphureus appelletur, à Gigantum parte quae in Etruriam in Phlegrea illa pugna eiecta est. Audi Pomponium Laetum,

*Huc quicumq; venis stupefactus ad ossa Gigantum,
 Disce cur Etrusco sint tumultata solo, etc.*

Acheron.

Acherontem quoque Auernum appellatum dixere, quòd in eum Acherusia palus, quae ad Cumas est, influeret per subterraneos meatus, quamuis & Acherusiam in Lucania commemoret Fuitropius. Eandem, & in Epiro alteram memorat Liuius dum scribit, Alexandrum Epiri Regem, vt caueret Acherusiam aquam, & Pandosiam urbem ex oraculo Iouis Dodonaei, quae vrbs, & qui amnis in Epiro sunt, ociùs transmississe in Italiam, vt quàm maximè abesset ab Epiro. Qui tamen propè eam urbem atque amnem occisus est ab exule Lucano. Amnem in Epiro Acherontem ex Molosside fluètem in stagna inferna accipit Thesprotius sinus, vt apud eundem Liuium. Et arborem albae populi reperit Hercules ad amnem Acherontem in Thesprotide, ex cuius lignis victimarum femora Ioui Olympio cremabat. Seruius ex aestuarijs Acherontis, vel Acherusiae, vel Acheruntiae, Auernum nasci scribit. Ad quod allusit Silius lib. 12.

*Acherusia in
 Lucania*

*In Breuiario.
 Dec. 1. lib. 8.*

*Acheron in
 Epiro.*

*Hinc vicina palus, fama est, Acherontis ad undas
 Pandere iter cauas stagnante voragine fauces
 Laxat, & horrendos aperit telluris hiatus,
 Interdumq. nouo perturbat lumine Manes.*

Et Petrarcha in Itinerario, *Ea autem huiusmodi apta loca, quod ibi sint Auernus atque Acheron tartarea nomina, ibi Ditis ostia limen irremeabile, & ille facilis descensus Auerni.* De Acherusia, Cumis aliqua scripsimus.

Stygia palus. Cimmerij.

Stygiam quoque paludem fuisse dictum Auernum, idem Silius scribit;

*Ille olim populis dictum Styga, nomine verso
Stagna inter celebrem nunc mitia monstrat Auernum.
Tum tristi nemore, atque umbris nigrantibus horrens
Et formidatus volucris, letale vomebat
Suffuso virus coelo, Stygiasq. per vrbes
Religione sacer saeuum retinebat honorem.*

& Lycophron in Alexandra,

Λίμνη τ' Αορνον ἀμφιτορνῶ τλῶ βρόχῳ
Καὶ χαῦμα Κωκυτοῖο λαβρωθὲν σκότῳ
Στυγὸς κελαινῆς νασμὸν

*Paludemq. Auernam laqueo circumductam
Et Cocyti fluuium tenebris absortum
Nigrae Stygis riuum*

Lib. 9.

Argillae.

Ex ea obscuritate Cimmerios ibi habitasse crediderunt. De quibus Strabo dùm loquitur, ait includere Auernum supercilia, rectà sursum enata, & vndique praeterquàm in aditu imminetia, silua olim magnarum arborum inaccessa. Quam postea cùm ipsius Strabonis aetate caecidisset Agrippa, & loca aedificijs essent occupata, & actus infrà Auernum Cumas vsque cuniculus, omnia haec Cimmeriorum fabulam deleuerunt, vt ipse innuit Ephorum reprehendens, qui Cimmerijs locum illum dicans, scripsit eos in subterraneis aedificijs habitasse quae Argillas vocabant. Idcirco deludere videtur antiquos, qui lacum non nauigabant, nisi prius Genios Manes in tenebris illis placassent, Sacerdotibus ad id constitutis. Sed Cicero Acad. quæst. 1.2. Cimmerij populi (inquit) in Italia ad Baianum & Auernum sinum, incolentes vallem ingenti iugo circumductam, quae neque matutino, neq; vespertino Sole contegitur. vnde prouerbiū Cimmeriae tenebrae. Lycophron vero,

Kai

καὶ Κιμμέραν ἑπαυλα κ' Αἰχαιρουσίαν. &

ὄβριμοῦς τ' ἄλσος οὐδαίας κόρης

Πυριφλεγέες τε ρεῖθρον, ἔνθα δ' ὕσβατος

Τείνει πρὸς αἴθραν κρατὰ πολυδέγμων λόφος.

Et Cimmeriorum domicilia, Acherusiamq.

— *Proserpinaeq. nemus infernae puellae,*

Et Pyriphlegetontem fluvium, ubi inuius

Tollit in coelum verticem capax collis.

Ergo nemus illud Proserpinae dicatū erat. Haec in Baijs cōmemoravit. Eorum habitationes ad Bosphorum descripsit Homerus. Indè ad omnia loca obscura significatio emanavit. Eorum domum, ignavi somni penetralia appellavit Ovidius. Et tristes noctis tenebras, Homerus. Et quemadmodū Auerni locus, sic & Cimmerij aliundè huc sunt trāslati. Vltrà.n.Oceanū Cimmerios summus Poetarum posuit, *Odyss. 11.*

Ἡ δ' ἔς πεῖραθ' ἴκανε βαθυρροῦ Ωκεανοῖο

Ἐνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δημός τε πέλις τε.

Ille ad fines peruenit profundi Oceani,

Hic verò Cimmeriorum erat virorum populusq. ciuitasq.

Idq. credula obseruauit antiquitas quippè constitutis ab Hercule Colūnis, indicante nullum praetereà inueniri posse littus, vltrà illas inferos constituerunt vbi Sol diū non lucet, sed fulguris in modum praeteruehitur, vt scribit Isacius. Quamobrem Claudianus,

1. in Eutrop.

Est locus extremum pandit qua Gallia littus

Oceani praetentus aquis, quā fertur Vlysses

Sanguine libato populum mouisse silentium.

Illic umbrarum tenui stridore volantum

Flebilis auditur questus, simulacra coloni

Pallida, defunctasq. vident migrare figuras.

Omnem lacum Auernum, trium stadiorū altitudine circumdari scribit Aristoteles, falsis vndis, nigroq. colore ob profunditatem, sulphur oluisse, & densam foetidam caliginem, quoniam obscœnum sacrum humano sanguine conficiebatur. Sulphuris odorem occidisse aues scribit Seruius.

Vibius

Lib. de flum. Vibius Sequester immēsam aquis altitudinem tribuit, quae tamen ducentas vlnas non excedit. Pisces paucos gignere eosq. paruos atque nigros, nec humano vsui commodos, scribit Ioannes Boccacius.



Antrum Sibyllae.

Lib. 5.

Quod vulgus antrum Sibyllae ad Auernū nominant, haud vereor antri faucem fuisse quod Cumis ad Auernum ductum erat, vt testatur Strabo, qui montem excisum à Cocceio ob Cimmerios affirmat; ἀπὸ δὲ τοῦ Αόρνου διαρρυγὸς ὑπονόμου πηλθεΐσιν μέχρι Κύμης; *Aētusq. infra Auernum Cumas vsque cuniculus.* Quamobrem cū Sibyllae antrum Cumis fuisse non sit dubitandum, ad oracula & sacrificia, ad Auernum se contulisse affirmarem. Cellam in hoc cuniculo vermiculatam, coeruleoq. colore depictam, balneum, non Sibyllae habitationem omnes affirmant necesse est; nam calorem illum & tenebras, quis perferre habitando potuisset? E regione magni aedificij vestigia supersunt. Apollinis tēplo tribuunt. Alij thermas existimarunt. Extat hoc tempore Balneum Subcellarium.

FOSSA

FOSSA NERONIS. MONS CHRISTI

Mons Gaurus.

Cap. XXI.



AGISTRIS & machinatoribus Seue-
ro & Celere utebatur Nero, quibus inge-
nium & audacia erat etiam quae natura
denegauisset per artem tentare, & viribus
Principis illudere, vt scribit Cornelius Ta-
citus. Ab his cognitū Neronis ingenium.

Lib. 5.

Aedificiorum delectabatur luxu, vt etiam in vestibulis Co-
lossos centum viginti pedū posuerit, porticus triplices mil-
liarias aedificauerit, cuncta gemmis & vnionum conchis
distincta, & auro lita ornanda iusserit, vt etiam ex coena-
nationibus vnguenta spargerentur & flores. Exquiliarum
mons totus aureus aurea domo visus est. Ideòq. ab lacu
Auerno nauigabilem fossam vsque ad Ostia Tyberina de-
pressuros promiserant squalenti littore, aut per montes ad-
uersos. Suetonius huiusmodi nauigationem describit, vt
nauibus, nec tamen mari iretur, longitudinis per clx. mil-
liaria, latitudinis qua cōtrariae quinqueres cōmearent.
Ad quod opus perficiendum fontes qui morte plectendi es-
sent, damnati sunt; & quicunque in carceribus deuincti es-
sent toto Romano Imperij orbe, in Italiam deportati. Id
enim apud Suetonium significat, *Quod ubiq; esset custodiae*;
quicunque custodiebantur. Et Custodias, vinctos ipsos ap-
pellant Iurisconsulti. Sed quae nam Imperatoris insania?
praeter Imperij vires, nitebatur thesauris. Vecordem sanè
hominem, ea tantum vanitas ostentauit. Antiquissimam
Didonis gazam ex Tyro aduectam, eques Romanus polli-
citus est. At ipse pecuniarum, animae, corporis, ingenij
profusor, adhibuit fidem. Mox, quòd eum spes fefellit, ra-
pinis se totum dedit. Opus praeclarum, sed quod absolui
nunquam potuisset. Licolam vulgò, dicunt.

In Ner. c. 31.

Ad

Ad Auernum etiam, Mons CHRISTI est. Miror doctos viros in dubium reuocare, an CHRISTVS Saluator, ad Auernum resurrexerit in hoc mōte, & ab Auerno Puteolano praedā tulerit, nam poeta quem Eustasium falsò dicunt,

Est locus Australis quo portam CHRISTVS Auerni

Fregit, & eduxit mortuos indè suos.

Haec domus est triplex, binc iure Tripergula dicta,

Vna capit vestes, altera seruat aquam, etc.

Et Alcadinus apud eosdē eandem ignorantiam sequutus,

Est locus effregit quo portas CHRISTVS Auerni,

Et sanctos traxit lucidus indè Patres;

Cū sciamus Redēptorem operatum esse salutem in medio terrae. Quid Hierusalem cum Puteolis? Quid Auerno lacui, cum Sepulcro illo celeberrimo, in quo iam Sanctarum mulierum redolent aromata? An Angelos in monte CHRISTI fuisse dicemus eos, qui in Sepulcro Hierosolymis dixerunt, *Surrexit non est hic?* Quasi vero Auerno lacu opus fuerit summo illi conditori, & fabulosum locum ipsa veritas ad sui ipsius gloriae monumenta declaranda elegerit, Auernum verò pro Inferno acceptum Theologis quoque exprimit D. Ambrosius qui in hymno cecinit,

*Auernus pro
Inferno.*

Ne foeda sit vel lubrica

Compago nostri corporis

Per quam Auerni ignibus

Ipsi crememur acrius.

Quemadmodum Prudentius in Hymno ad omnes horas, tartarum dixit,

Quia ipsum (ne salutis Inferi expertes forent)

Tartarum benignus intrat —

Et Sedulius grauissimus auctor tartarum, crebum, & chaos appellauit.

Quod ad GAVRVM pertinet, tres hoc nomine montes appellatos reperio. Primus is est qui ad Massicum propè Minturnas Sueßamq. surgit. De quo Cicero, *Hac lege Tribunicia Decemviri vendent agrum Campanum. Accedit & mons Gaurus;*

2. Agraria.

accedunt

accedunt sibeta ad Minturnas. Adiungitur & illa via vendibilis
 Herculanea multarum diuiciarū & magnae pecuniae. Et Liuius; *Lib. 7. Dec. 1.*
 Consules ambo cum duobus ab Vrbe exercitibus profecti, Valerius
 in Campaniam, Cornelius in Samnium; ille ad montem Gaurum,
 hic ad Sutriculam castra ponūt. Massico sic coniungit Statius, *Lib. 4. Sila.*
 in Via Domitiana,

Atque Echo simul hinc & indè fractam

Gauro Massicus vuifer remittit.

Miratur sonitum quieta Cyme

Et Linterna palus, pigerq. Sauo.

Quòd vitibus plenus erat, idem Statius Icarium appellat, *Sila. 1.*

Icario nemorosus palmite Gaurus.

Icarus Oebali Laconum Regis filius accepto à Libero pa-
 tre vino, rusticis distribuit, qui toxicum accepisse arbitra-
 ti, eum interfecerunt. Frondètem vitibus, & Nisaeum ap- *Lib. 3.*
 pellat Silius,

———— & frondentia laeto

Palmite deuastat Nyfaea cacumina Gauri.

Quippè in Nyfa vrbe Arabiae quae Agypto contermina
 est, Bacchus à Nymphis fertur educatus. Per Falernos
 Gauranosq. saltus Fabium sic macerasse Hannibalem scri-
 bit Iornandes, vt qui frangi virtute non poterat, mora *Lib. 1. de*
 comminueretur. *Regn. ac tēp.*

Secundus, qui Stabijs imminet. Silius,

Illic Nuceria & Gaurus naualibus apta.

A quo Gauranum oppidum ad Stabias appellatum con-
 firmant indigetæ, Surrentinis collibus & Nucertino naua-
 li conterminus. Tertius, qui Puteolis est ad Auernum,
 quem Barbarum nominant, de quo Lucanus,

Lib. 1. de
Regn. ac tēp.
succ.
Lib. 12.

———— vel si conuulso vertice Gaurus

Decidat in fundum penitus stagnantis Auerni.

Lib. 2.

Et Iuuenalis Satyra 9.

Te Trifolinus ager foecundis vitibus implet,

Suspectumq. iugum Cumis, & Gaurus inanis,

Quo epitheto vel montem significat ad agriculturam in-
 O eptum,

eptum, nullo arbore confitum, sed nudum, quare non credendum vitibus fuisse abundantem, & cùm de vīno loquimur, Gauranum propè Massicum intelligamus necesse est; vel inanem dicit, nam cauernis olim abundabat. Sulphureum dici ab Aufonio arbitrati sunt,

Idyll. 9.

*Tales Cumano despectat in aequore ludos
Liber, sulphurei per iuga consita Gauri
Perq. vaporiferi graditur vineta Veseui,*

Quem tamen de primo Gauro loquutū affirmo & ob scrobes Sueffanas Gaurum qui imminet, sulphureum dixisse. At Sidonius Apollinaris de Puteolano cecinit,

*Inter delicias mollirent corpora Baiae,
Et se Lucrinus quā vergit Gaurus in undas.*

In hoc monte quā variè Diabolus inuentoribus thesaurorum illudit? Quantam sibi in eius visceribus carbunculorum copiam proponunt? Ridicūlum profectò, & homine indignum.



BAIAE.



B A I A E.

Cap. XXII.



INVM illum celebrem Baiarum, non quòd Aristobolus Romam proficiscens est admiratus, sed quòd ipse saepius eò contendens, Romani animi fragmenta quae reliqua sunt summa cum admiratione cōspexi, cum aliqua Romanae vrbis maiestate comparare ausim & thermarum copia, & amplitudine templorum, & terrae solo calidis aquis irriguo, quas tūm ad luxum, tūm ad morborum sanationem idoneas appellauit Strabo, & Dio vitae hominis & valetudini aptissimas, ideoq. magnificas ibi & sumptuosas aedes extructas, vilis est in vita Augusti magnopere laudare. Sic à Blondo

Lib. 5.

describitur; *Terram ambit omnium Italiae pulcherrimam, in qua Baiae fuerunt ciuitas opulenta. Idq. omne solum & si quinis, ut diximus, productum est millibus, latitudine tamen parum variata, duo alicubi, & minus alibi millia explet, ut digiti vnus speciem praeseferat. Quo in terrarum, ut ita dixerim, digito tam multa cernuntur partim integra in subterraneis, partim superius*

In Ital. illust.

semirutae, partim in ruinas collapsa veterum operum monumenta, ut extra urbis Romae moenia nihil illo toto orbe terrarum aedificiorum magnitudine ac pulcritudine par credam existimemq. fuisse, ut non iniuria dixerit Horatius,

1. epist. 17.

Nullus in orbe locus Baijs praelucet amoenis.

Lib. 6.

Lib. 8.

Volaterranus; Apud Baias amoenitas illa praedicata, & secessus Romanorum. Situm & nomen his verbis cōiungit Silius Italicus,

———— illic quos sulphure pingues

Pblegraci legere sinus, Misenus, & ardens

Ore giganteo sedes Ithacesia Baij.

nam à Baio Vlyssis socio ibi sepulto, sic appellatas dicunt. De quo cū dixisset Lycophron de Gigantibus loquutus,

Βαίον δ' αἰεσίτας τοῦ κυβερνήτου τάφον.

*addidit Interpres, Baium hunc navis Vlyssis gubernatorem fuisse, & ad Siciliam sepultum. à quo dicunt vocari Baias insulas & ciuitates, & Baianum lacum propè Auernū Italiae. Plerique à baiulandis mercibus sic dictas existimant. insulsè. Neque praetermittam apud Aegyptios, B A I, animam significare, ut scribit Orus Apollo, si *ὑσμία* tribuimus. Et B A I O N, genus esse compositionis medicum, apud Trallianum, si thermas consideremus. Iosephus parvam fuisse ciuitatem scribit, cū loquitur de Fortunato Agrippae seruo, qui Herodem subsequutus, Caesari litteras erat redditurus, quem apud Baias consequutus est. Imperatorum tamen habitationes magnificè aedificatas, principum villas, thermasq. maximè laudat.*

Lib. 18. c. 14.

Baianarum aquarum luxus.

Quamuis Baianis aquis plurimū tribuamus, Horatius tamen ab Antonio Musa medico edoctus, ad voluptatem dumtaxat comparandam eas valere scribit, ad bonam vero valetudinem inutiles esse, epist. 1. ad Nummonium Valam,

———— nam mihi Baias

Musa superuacuas Antonius; & tamen illis

M.

*Me facit inuisum gelida cùm perluor vnda
Per medium frigus*

Et Suetonius Augustum scribit quia calida fomenta non proderant, frigidis curari coactum esse. Medici hoc tempore (sed quis medicus? qui Galeni tantum methodum legerit? qui impunè homines occidit?) cùm nihil reliqui habeant medendis corporibus, vel cùm reipsa ignorent quo morbi genere aegri sint affecti, ad aquas Baianas eos reijciunt, quas nemini vnquam prodesse cognoui. Noui tamen stolidos nostrae aetatis homines, qui si caeci eò proficiantur, iam se videre coeciores indè reuersi contendunt. Nihil praeterea accedentes faciunt, quàm quod idem Horatius ait,

*Ad mare cùm veni generosum & lene lequiro
Quod curas abigat, quòd cum spe diuite manet
In venas, animumq. meum, quod verba ministret,
Quod me Lucanae iuuenem commendet amicae.
Tractus vter plures lepores, vter educet apros,
Vtra magis pisces & echinos aequora celent.*

Ad quod allusit Pontanus lib. i. Baiarum,

*Salaces refugis, Marine, Baias
Et fontes nimium libidinosos.
Quid mirum? senibus nocet libido
At non ò Tomacelle vina profunt?
Et prodest senibus liquor Falernus?
Et profunt latices Thyoniani?
An non & senibus Marine, somnus
Et prodest requies? soporq. prodest?
Baijs somniculosius quid ipsis?
Quid thermae, nisi molle, lene, mite
Rorantes cyathos merumq. poscunt?*

Alibi balneas inducit loquentes, quae hoc etiam tempore eadem obloqui possent, quando Venus in balneis cupit impleri,

Nosirum

*Nosrum si titulum puella nescis,
 Hic est; Praegrauida recede aluo
 Quae venit vacua; hoc habet tabella.
 Quod verò officium tuum meumq.
 Quae partes, moneam; Virum ipsa tecum
 Adducas validum, ioci peritum,
 Cui telum viride, & virens iuuenta,
 Nec tu defueris comes iocanti*

Martialis innuit saepè Penelopes, Helenas in balneis euas-
 sisse;

*Casta nec antiquis cedens Laeuina Sabinis
 Et quamuis tetrico tristior ipsa viro.
 Dummodo Lucrino, modo se permittit Auerno,
 Et dum Baianis saepè fouetur aquis,
 Incidit in flammis, iuuenemq. sequuta relicto
 Coniuge, Penelope venit, abit Helene.*

Vtilia docet in Pedagogi lib. 3. cap. 5. Clemens Alexan-
 drinus, qui ait Viris & feminis communia aperta esse bal-
 nea, atque ibi exui ad intemperantiam perindè ac si sit eis
 pudor in lauacris obrutus. Athletas praetereà viros nudos
 se ostendere erubescences, dùm certamen peragebant ac-
 cinctis subligaculis seruasse verecundiam; mulieres autem
 simul cum tunica pudorem exuere. Ideoq. Hesiodum Cor-
 pus femineo non exilarare lauacro, suadere.

Epist. 51.

Idcirco tepentes fontibus Baias, Lucrinum, & Auernum,
 quaedam maris ocia dixit. Eius loci vitia sic describit Se-
 neca; *Nūquam Canopum eliget. ne Baias quidem. Diuersorium
 vitiorum esse coeperunt. Illic sibi plurimum luxuria permittit. Ibi
 tanquā aliqua licentia debeatur loco, magis soluitur. Non tantum
 corpori, sed etiam moribus salubrem locum eligere debemus. Quem-
 admodum inter tortores habitare nolim, sic nec inter popinas qui-
 dem. Videre ebrios per littora errantes, & comessationes nauigan-
 tium, & Symphoniarum cantibus persfrepentes lacus, & alia
 quae velut soluta legibus luxuria, non tantum peccat, sed publi-
 cat. Et paulò post; Habitaturum tu putas vnquam fuisse in Vtica
 Catonem ut praeternauigantes adulteras dinumeraret, & aspice-
 ret*

ret tot genera cymbarum varijs coloribus picta, & fluitantem toto lacu rosam, & audiret canentium nocturna conuicia? non ne manere ille intra vallum maluisset, quàm unam noctem inter talia duxisse? Quae Cicero in oratione pro Coelio breuiùs complectitur, Accusatores quidem libidines, amores, adulteria, Baijs acta cõuiuia; comessationes, cantus, symphonias, nauigia iactant. Et paulò post; Quae haberet palam decretum semper aliquem, cuius in hortos, domum, Baias, iure suo libidines omnes commearent. Ammianus Marcellinus dùm nimium delicatorum hominum vitia notat, reprehendit eos qui si agros visuri processerint longiùs, Alexandri itinera se putant aequiparasse, vel Caesaris; aut si à lacu Auerno lēbis inuecti fuerint Puteolos, aut Caietam, si inter aurata flabella lacinijs sericis infiderint muscae, vel per foramen umbraculi pensilis radiolus irruperit solis, quaeruntur quòd nō sunt apud Cimmerios nati. Ex quibus delicatas Baiano littore conijcimus aduectiones. Hinc per excellentiam, Baiana cymba. Iuuenalis,

Interiora petit Baianae peruia cymbae

Quae omnia ad Paufilypanum littus hoc tempore traducta cernimus, vt semper hominum mentes iisdem illecebris irretitas fuisse cognoscamus. Ioannes Albinus eum luxum sic expressit,

*Tu qui Baianum venisti liber ad undas;
 Aligeri fies praeda cruenta Dei.
 Miscuit bis ardens Circe letale venenum,
 Dulichium sperans detinuisse Ducem.
 Iuppiter Europam falso sub nomine tauri
 Littore ab Herculeo per mare vexit amans.
 Tristior Alcides filius errauit Aerni,
 Ereptumq. diu nomina clamat Hylam.
 Hui formam Aëlaeon mutauit, Myrrha nefando
 Concubitu in ramos brachia moesta dedit.
 Tindaris hic rapitur Troiani causa laboris,
 Hic tua Cidippe spicula iecit Amor.
 Occurrit pallens nigro Sophonisba veneno*

Cuius

*Cuius morte gemit quicquid habet lacrimas.
Hic coluit Medea furens, fratremq. peremit,
Vt fugeret patris mox scelerata manus.
Phyllida suspensum Gaurus miratur, & illum
Inter aquas tantum cui sua forma placet.*

*Quos tamen versus ita claudit,
Omne nefas, atque omne malum his emerfit ab undis,
Desidia & lacrimis aptior ille locus.
Ergo Cumanum quiuis fuge littus & undas,
Si qua fides monitis carminibusq. meis*

Eleg. 2. lib. 1. Ad hoc facit illud Propertij,

*Tu modo quamprimum corruptas desere Baias,
Multis ista dabunt littora diffidiam.
Littora quae fuerunt castis inimica puellis,
Ab pereant Baiae crimen amoris aquae.*

Lib. 5. ep. 4.

Franciscus Petrarcha, nullam amoeniorem, nullam frequentiore quàm Baiarum stationem esse dicit, quòd & scriptorum illius aevi fidem, & ingentes murorū reliquias testari asserit. Subdidit praeterea hoc humanae voluptati magis, quàm Romanae severitati dignum fuisse domicilium, ideòq. Marium natura virum asperiores, & Pompeium, & Caesarem humanis moribus altiores, in montibus aedificasse, vnde, quod decuit, non immerfi, sed subducti effeminantibus animos munditijs, nauticum strepitum, & Baianas ex alto despicerent voluptates. Quas verò dicimus Baijs lasciuias, easdem ex libertate emanasse dicemus, Iuuenalis,

Qui vertere solum, Baias, & ad Ostia currant.

Et Annibalem Campaniae soles (quis crederet?) & tepentes fontibus Baiae subegerunt, inquit L. Florus lib. 2. cap. 6. itaque inuictus Alpibus, indomitus armis, in ijs locis elanguit.

Laudauit tamen ciues Cicero eadem oratione; *Equidem multos vidi in hac ciuitate, & audiui non modo qui primoribus labris gustassēt genus hoc vitae, & extremis (ut dicitur) attigissent,*
sed

sed qui totam adolescentiam voluptatibus dedissent, emeruisse aliquando, & se ad frugem bonam (ut dicitur) recepisse, grauesq. homines atq; illustres fuisse. Laudat sic Martialis finum,

*Littus beatæ Veneris aureum, Baias,
Baias superbae dona naturæ,
Vt mille laudem, Flacce, versibus Baias,
Laudabo dignè non satis tamen Baias.*

Horatius splendida aedificia & superba,

*Tu secunda marmora
Locas sub ipsum funus, & sepulchrū
Immemor struis domos,
Marisq. Baijs obstrepentis vrbes
Submouere littora
Parum locuples continente ripa.*

Hoc est, terra continente non contentus, in mari aedificas, & mari littus adimere videris. Toto illo sinu aedificia littus occupant. Hac de causa facilius crederem Baias mari submersas, quàm à Longobardis, vel Sarracenis dirutas.

Quod etiam via filice strata pelago demersa ostēdit, & Leo Baptista in Architectura confirmat, & mutari littora cū plerasque alibi alias vrbes, tū in Italia Baias mari immer-
sas, testari asserit; & apud Aegyptum Pharum, quae prius mari fuerat circumdata, quae nunc veluti Chersonesus ad continentem haeret. Idem de Tyro, & Clazomenis scribit Strabo. Squalet nunc sinus ille, vepribus, serpentibusque plenus; & aër qui saluberrimus erat, inclemens nimium factus est. Humanarum rerum vicissitudo in ijs locis maxime cognoscitur. In lunato recessu portum habet celebrem, quem noua tuetur Arx in qua ad xxx. milites stipendium merent, & ruinarum prospectu potius quàm victu & cultus commodo fruuntur. Arcem aedificandam curauit Petrus è Toletò. Quae tamen ruinae in intimo Baiano sinu magnae conspiciuntur, Thermas fuisse structura ipsa docet, tubiq. per quos pluuiiales aquae in Thermarum piscinas immittebantur.

Lib. 4. c. 2.

Ciuitates submersae.

Lib. 13.

Ambubaiae.

Satyr. 2.

Baiarum libidinem arguunt Ambubaiae, famosae mulieres, de quibus Horatius,

Ambubaearum collegia ———

*Institores
Cauponae.*

Non tantum inter urbis scorta coenitasse Neronem, scribit Suetonius, sed quoties Baianum sinum praeternavigaret, per littora & ripas diuersorias tabernas dispositas fuisse insignes ganeae, & matronarum institorio copas imitantium, atque hinc inde orantium ut appelleret. Institorias operas, pro Institorio copas, vulgati codices habent. Institorem Iurisconsulti vocant qui negotio agendo, quaecunque fuerit, instat. Institorem Cauponae dixit Vlpianus. Ambubaiae siquidem dicebantur, quoniam circa Baias versarentur, ut, Ambarualia. Ambu enim pro an, quod est circum, veteres dixisse, notat Turnebus in Aduersarijs, qui etiam ab ἀμφί,ambu deduci posse existimat. Quamobrem vel quoniam Romam quoque id genus mulierum impudicarum secessit Baijs, vel quoniam quaelibet scorta Ambubaiae possunt appellari, earum ministeria Neroni Suetonius exprobrat. Ambubaias in specubus illis Baianis habitasse dicerem cum subterraneis locis vterentur mulieres quae meretricium quaestum faciebant à quibus χαμαιτυπεία nominabantur. Et ganeas ἀπὸ τῆς γᾶς, quod essent in terra putat dici Terentij interpres. Huiusmodi cellae Romae fuerunt sub Circo Maximo, vocat fortasse Cicero tenebras & integumenta cum meretricias libidines Clodiae exprobrat in oratione pro M. Coelio; *Nilil Baiae denique ipsae loquuntur? Illae verò non loquuntur solum, verum etiam personant; hoc unius mulieris libidinem esse prolapsam, ut ea non modo solitudinem, & tenebras atque haec flagitiorum integumenta non quaerat, sed in turpissimis rebus frequentissima celebritate & clarissima luce laetetur.* Et paulò post meretriciam vitam Baijs collocat.

Integumenta.

Villae

Villae Baianae.

Inter Baianos luxus Villæ adnumerantur, quae non tantum piscinis, sed etiam balneorum frequenti usu erant admirabiles. At cum innumeras crediderim ibi esse extructas, omnis enim Romana eò confluebat nobilitas, aliquarum tamen auctores meminere.

IVLIAE MAMMAE, cui & matri, & affinibus Alexander Seuerus ut pietatem ostenderet in Baiano illustra aedificia, & stagna immisso mari facienda iussit, ut scribit Lampridius.

C. IVLII CAESARIS; cuius villa fuit in monte qui Baijs imminet. Tacitus scribit, Agrippinam occiso Nerone tandem domesticorum cura leuem accepisse tumulum, viam Miseni propter, & Villam Caesaris Dictatoris, quae subiectos sinus editissima prospectabat. Statuam ibi reperitam scribunt cum inscriptione, GEN. C. IVL. CAES. Qui viderunt, testimonium faciant. In hac fortasse Villa Marcellus à Liuia veneno sublatus est, cum ex Servio & alijs in Baiano eum obiisse constet licet in Stabiano dicat Propertius. Eius mortis causam affert Dio, *αἰτίαν μὲν οὖν ἡ λιβία τοῦ θαλάτου τοῦ Μαρκελλοῦ εἶχεν, ὅτι τῶν γένων αὐτοῦ προετέτιμητο*, *Causam Mortis Marcelli Liuia habuit, quod is eius filijs anteponeretur.* Lib. 14.

POMPEII, MARI. Inter Auernum & Sudatorium Trituli Villam Magni Pompeij constituunt. Aliae in his collibus Villae. Seneca; C. Marius, & Cn. Pompeius, & *Caesar extruxerunt quidem villas in regione Baiana, sed illas imposuerunt summis iugis montium. Videbatur hoc magis militare ex edito speculati longè latèq. subiecta. Aspice quam positionem elegerunt, quibus aedificia excitauerūt locis, & qualia. Scias non villas esse, sed castra.* Epist. 51. Petrarcha domicilium illud magis humanae voluptati quàm Romanae feueritati dignum dicit, ideòq. Marium natura virum asperiores, & Pompeium, & Caesarem, humanis moribus altiores in montibus aedificasse, nauticum strepitum, & Baianas ex alto despicientes

voluptates. Vt mirum nobis non videatur, si operum maximas moles in ijs locis conspiciamus.

*Pisces vocati
ad manum.*

DOMITIANI CAESARIS, Piscinas ibi narrat fuisse Plinius, in quibus pisces vocati ad manum venire solebant. Quare docet pisces auditum habere, sed praecipuè Mugilem, Salpam, Chromidem, Lupum. In ijs piscari fas erat. Martialis,

Lib. 5. ep. 4.

*Piscator fuge ne nocens recedas;
Sacris piscibus hae natantur undae,
Qui norunt dominum, manumq. lambunt,
Illam qua nihil est in orbe maius.
Quid? quod nomen habent? & ad magistri
Vocem quisque sui venit citatus.*

HIRRII, Villam nobilem Muraenis laudat Varro.

Lib. 5. An.

PISONIS. Apud Baias Pisonis villam Tacitus, ponit, in qua de coniuratione in Neronem actum est. Eò diuertente Nero solebat, & epulas, & balneas inire; Coniurationis tamen metu proditiōis placitum maturare caedem apud Baias in villa Pisonis, cuius amoenitate captus Caesar crebrò ventitabat, balneasq. & epulas inibat omissis excubijs, & fortunae suae mole. In ea enim villa Volusius Proculus per Epicbarim mulierem occidendi Neronis cōsiliū cum coniuratis inierat. Quod abnuī Pīso, inuidiam praetendens, si sacra mensae dijq. hospitales caede qualiscunque Principis cruentarentur. Thermarum vestigia haud procul à Tritulis absunt.

Lib. 13.

DOMITIAE quoque villam Neronis amitae in Baiano ostendit idem auctor dum his verbis loquentem Agrippinam inducit; Nunc per concubinum Atimetum, & histriōem Paridem quasi seruae fabulas componit. Baiarum suarum piscinas excolebat, cum meis consilijs adoptio, & proconsulare ius, & designatio consulatus, & coetera adipiscendo praepararētur. Dio quoque scribit, Neronem amitae Domitiae veneno sublatae, bona possessionesq. quae Baijs & ad mare Rauennas habebat, inuasisse.

Lib. 54.

IVLIAE MAMMAEAE. Lampridius; In matrem Mammeam (de Seuero loquitur) unice pius fuit &c. Et in

Baiano

Baiano palatium cum stagno, quod Mammeae nomine hodieq. censetur. Fecit & alia in Baiano opera magnifica in honorem affinium suorum, & siagna admissio mari.

Templa Baiana.

VENERIS templum in Baiano littore fuit. Martialis,
Littus beatæ Veneris aureum —

Cur tamen Caesari opus tribuant, & Veneri Genitrici, haud scio. Huic Numini templum Romæ à Caesare dictum, *Quòd eo nomine fuit mater, à Venere Iulij, cuius gentis familia est nostra, ut ipse laudavit pro Rostris*, Suetonius, Appianus, Dio, Plinius scribunt, qui etiã Thoracem ex margaritis Britannicis, Veneri Genitrici dicasse affirmat.

DIANAË ibidem templum ostenditur, non ex Inscriptione quam somniarunt, sed ex Propertij auctoritate

*Ecquid te medijs cessantem Cinthia Baijs
Quae iacet Herculeis semita littoribus?*

& ex animalium simulacris quae in eius templi aliquot lapidibus insculpta vidimus, Canes scilicet & Ceruos, Mullosq. quos venatores appellarunt veteres quippe qui leporem marinũ insequuntur. Sed Plato in Phaone apud Athenaeum aliam affert causam, *Mullus Dianae sacer.*

Τρίγλη δ' οὐκ ἐθέλειν ἔυρων ἐπιύρανος εἶναι

Παρθένου Ἀρτέμιδος γὰρ ἔφυ, καὶ σύματα μίλει;

Dedignatur nullus, nec amat virilia,

Est enim Dianae sacer, propterea q. arrectum pudendum odit.

Apud eundem Hecati Mullus ob affinitatem nominis tribuitur, Triotidim enim, Triuiam & *Τρίγληνον* eam appellant, *Dianae nomina.* ac ei trigesimo cuiusq; mensis die mensam apponunt. Melanthius libro de mysterijs Eleusinis, ei Triglam scribit immolari, quoniam etiam marina est Hecate. Et Athenis Trigla, locus est in quo visitur Hecates Triglantinae statua. Hinc Chariclades,

Δέσπιν' Ἐκάτη Τριδίτη, Τρίμορφε

Τριπρόσωπε, Τρίγλας κηλυμένη;

O bera,

*Obera, Reginaq. Hecate, triuiorum praesens, triformis
Triplici facie spectabilis, quae Mullis propitiaris.*

Cervus Dianae sacer.

Cervus Dianae addictus est sacer. *Ελαφιβόλος*, idcirco cognominata. Et apud Festum, quod *ἐλαφιβόλια* dicebatur, Cervus erat placenta ex farina, melle, & sesamo, teste Athenaeo. Baijs numismata reperta, in quibus Dianae caput.

Pisces Baiani.

Baiana maximè laudabantur Ostrea. Ausonius ep. 7.

*Ostrea Baianis certantia, quae Medolorum
Dulcibus in stagnis refluvi maris testas opimat,
Accepi dilecte Theon, memorabile munus.*

In Numismate Baiano Ostreum, & hordei spica cernitur, veluti & in Cumanis.



Lib. 9. cap. 8.

Sergium Oratam primum in Baiano inuenisse Ostreorum viuaria scribit Plinius; quem etiam Oratam dictum, quod

Lib. 3. cap. 8.

Auratam piscem plurimi fecit, ait Macrobius; *Sergius Orata cognominatus est, quod ei pisces qui Auratae nominantur, carissimi fuerint. Hic est Sergius Orata qui primus balneas pensiles habuit, primus Ostrearia in Baiano locauit, primus Ostreis Lucrinis optimum saporem adiudicauit,*

Lib. 3. de re rust.

Quid verò de Baianis Muraenis dicam, cum scribat Varro; Hirriū circum piscinas suas ex aedificijs duodena millia sextertia capere, ut eam omnem mercedem escis quas dabat piscibus consumeret, & hunc Caesari duomillia Muraenarum mutua dedisse in pondus, & propter pisciū multitudinem

titudinem quadragies sextertio villam emisse? Et cū scribat Plinius hunc eundem Hirrium coenis triumphalibus Caesaris Dictatoris sexmillia numero Muraenarum mutuò appendisse, cum nolisset permutare pretio, aliaue merce? Quicquid Muraenarum pelagus habebat, in Pausilypanum & Baianum finum ad gulam erat admissum. Ibi Pollio non ad gulam, sed ad crudelitatem alebat, humana enim carne eas vesci docuerat. Et coenante apud eū Augusto, puer qui erat ad cyathos, fracto vase chrystallino, in piscinam Muraenis erat obijciendus, quem dimittendum Augustus iussit, & quicquid apud Pollionem esset chrystallinorum, perfringendum. Quis verò hic piscium luxus apud Varonem in quo luxuria propagauit leporaria, ac piscinas protulit ad mare, & in eas pelagios greges piscium reuocauit, nam propter hoc appellati Sergius Orata, & Lucius Muraena? Quis enim propter nobilitatem ignorat piscinas Philippi, Hortensij, Lucullorum? Pagros etiam eius loci laudat Sannazarius,

Lib.9. c.55.

Lib.3. de re
rust.

*Dat Rhombos Sinuessæ, Dicarchi littora Pagros,
Herculeæ Mullum, rupes Synodontas Amalphis.*

Historia.

Adrianus ad Baias obiit anno Imperij 21. mense 10. & die 20. ætatis, sexagesimo & altero anno, Paulus Diaconus. Iulius Capitolinus, ait, absumpto Baijs Adriano cū Pius ad vehendas eius reliquias esset profectus, relictum Romæ auo iusta impleuisse. Viuens tamen Adrianus, audito, Sarmatarum, & Alanorum tumultu, præmissis exercitibus, Moetiam petijt (inquit Spartianus) cūq. præfecisset Martium Turbonem Pannoniæ, cum Rege Alanorum composita pace, cū Nigrini insidias quas ille sacrificanti Imperatori parauerat, euasisset, Palma Terracinae, Celsus Baijs, Nigrinus Fauentia, Lusius in itinere, iubente Senatu, occisi sunt. Cū Antonius Libonis familiares

*Tres simul
Imperatores.*

res admonuisset vt cum è Sicilia vocarent, in itinere Libo ad insulam Pitheculas appulit, ad quam vt Liboni litteras fidei mitteret populus Caesarè orabat. Vbi vero Libo animaduertit inimicos remissiùs agere, ipsorum Ducum colloquium postulauit, vt arbitrato suo rem componerent. Et postquàm id quoque maximis precibus obtinuit populus, profecti sunt Baias Caesar & Antonius. Tunc Pompeius è Sardinia soluens Puteolos superbè praeternaui gavit, circà vesperam, hostibus inspectatibus. Illud vero dignum visu, quòd primo mane defixis in mari palis, intervallo modico pòtes instrati sunt desuper, in quorum alterum terrae continentem Caesar processit cum Antonio, Pompeius & Libo in alterum canali diremptum, atque ità vt nisi clara voce loquentes non audirentur inuicem. Re tamen infecta, discessum est. Coetera per amicos internuncios tractata, varias condiciones vtrinque ferentes tandem instàte Murcia, matre, & Iulia vxore, rursus tres conuenerunt, Caesar, Antonius, & Pompeius in veterem quendam aggerem mari cinctum vndique, collocatis in statione nauibus. Ibi condiciones pacis latae. Quae diffusiùs narrat Appianus. Vidit hic sinus maximos Imperatores, audiuitq. de maximis Reip. rebus disceptantes. Nobiliora profectò Imperatorum consilia, Baiani specus resonarunt. Quem tamen parua & fortunata insula gloriae titulum sustinebit, in qua tria belli fulmina coruscarunt? Cedat aggeri Tarpeius & Capitoliù, qui vno die tres maximos accepit triumphatores. Nūquàm maris aestus nobilissimum scopulum debuit obruere.

De Magnific.

Lib. 12. Reip.

Fistulas plumbeas inter Baianas ruinas mirae crassitudinis, sua memoria, inuentas scribit Pontanus, in quibus Claudij Augusti nomen scriptum erat. Ex Pompeij praeternaui gatione ad Dicaearchiam Lazius Praetoriù Puteolis extorquet, nam à Principe nomen habere dicit, *loco iustitiae administrandae siue iuris dicundi, hoc est Praetorio quod Putcoli fuerat.* At cur non in mentem venit Dicaearchiam

vetu-

vetustissimum esse Urbis nomen, & à iusta Republica, non Praetorio sic appellatam? Huic auctori Dicaearchia ab inclinante Imperio, non ab aedificio dicitur.

Bullas aureas quibus Tiberius à Pompeia Sex. Pompeij sorore in Sicilia donatus est, eius aetate durare, & ostendi Baijs, scribit Suetonius. Bullas verò clauorum capita intelligit quae ad ornatum cingulis militaribus apponebantur. Id siquidem cum chlamide & fibula rectius conuenit. Virgilius,

1. Tiber. c. 6

— *pulcras Rhamnitis, & aurea Bullis*
Cingula — —

Lib. 9.

& extremo libro 12.

— *notis fulxerunt cingula Bullis.*

Christiana religio.

Christianos Baias incoluisse dicerem ex Concilio Carthaginense primo sub Iulio I. Pontifice (non Siluestro) à quo Felix Episcopus Baianensis adducitur, nisi in hac voce asteriscus notaretur, & in margine legeretur, Byzacínensis. Quod ad Felicem pertinet, in illo Prouinciali Concilio, coeterorum Episcoporum sententijs suam addidit; *Nullum debere collegae suo facere iniuriam.* Montis Grilli ad Baias ager, ad Archiepiscopum Neapolitanum pertinet.





B A V L I. Cap. XXIII.



INTERIACENT Misenum & Baias Bauli. Herculis ibi Boauli templum à Gerionis bobus, cùm bouum pompam duxisset Iberorum, vt loquitur Martianus. Quo tēpore illud memorabile est, Italiam dictam quasi Vitaliam, à Vitulo qui ab armento resiliens profugerat & totam illam oram peragrauerat, vt scribit Hellanicus Lesbicus apud Halicarnasseum, & Silius lib. 2.

— & *Herculeos videt ipso in littore Baulos.*

Boaula, Caula bouum appellata; mox Baulum, vt dulciùs auribus sonaret;

— *corrupta Boalia, Baulos*

Nuncupat haec aetas ———

inquit Symmachus. Pausanias in Eliacis in vrbe Pylo spelūcam describit in qua Nestoris & Nelei bouum stabulum fuisse dicit. Vtq. Boauli nomen exprimeret, huiusmodi diuisit;

*Bauli &
Boaula.*

uifit. Βοῦς δὲ ἐν ταῦθα τὰς Νέστορος, καὶ ἔτι πρότερον Νηλέως εἶσιν αὐλίσ- Lia. 1.
 ξεδι. Ibi bouum Nestoris, & antea Nelei stabulum fuisse dicunt.
 Et quemadmodum Iphicli boues Neleus expetiuit, sic Eu-
 rysteus imperauit Herculi vt eximia specie boues ad se abi-
 geret. Bobus quidem inprimis priscos delectatos fuisse,
 ostendit Homerus in Iliade, qui Iphidamantem Antenoris
 filium boues centum nuptiarum munus socero dedisse scri-
 bit.

Agrippina.

Agrippinae calamitate locus celebris est. Quae cum in
 magnam Neronis inuidiam adducta esset, non tantum omni
 honore & potestate priuata est, abducta militum & Ger- Cap. 34.
 manorum statione (vt ait Suetonius) sed etiam contuber-
 nio & Palatio expulsa. Ter venenum tentauit, & frustra.
 Semper enim antidotis illa erat praemunita. Lacunaria pa-
 rauit, vt super dormientem deciderent, ipsa tamen consilij
 particeps effecta, sibi cauit. Tandem Baias eam euocauit,
 data naui solutili & machinosa, quae repente corrueret in
 medijs aquis. Corruit illa quidem, sed ipsa enatauit ad lit-
 tus incolumis. Narrat Tacitus in littora obuium matri fa- Lib. 4. Ann.
 ctum Neronem (nam Antio aduentabat) manu & comple-
 xu eam excepisse, & duxisse Baulos, villam (quae Horten-
 sij antea fuerat) quae inter Misenum, & Baianum flexo mari
 alluitur. Ibi conuiuio & blandè habita. Et quoniam Baias
 ad Quinquatruum festos dies allegerat, imposuit eam naui
 quam Anicetus eius libertus, classis apud Misenum prae-
 fectus, pueritiae eiusdem educator, Agrippinae mutuis
 odijs inuisus, aedificari posse aiebat, cuius pars in ipso mari
 per artem soluta, effunderet matrem ignaram. Comitaban-
 tur eam Crepereius Gallus, & Aceronia liberta. Dato si- Naui solu-
tilis.
 gno, tectum nauis plumbo graue corruit, pressusq. Crepe-
 reius exanimatus obiit. Agrippina & Aceronia protectae
 sunt. Tunc visum remigibus in unum latus nauem inclina-
 re, atque ita eam submergere. Sed alijs eius consilij igna-

Aceronia remis occiditur.

Agrippina occiditur.

Lib. 9. Dec. 4.

ris, contrà nitentibus, factum est vt leniter Agrippina & Aceronia in mare praecipitarent. Clamabat Aceronia vt Agrippinae opem ferrent, Principis matri, quam se ipsam faciebat vt mortem euaderet. At remiges Agrippinam rati, contis & remis Aceroniam interfecere, quae cum Crepereio sceleris particeps meritas poenas soluerunt. Saepèque vsu venit vt in proditionis gnaros primùm à diuina vindicta animaduertatur. Agrippina filens, vno tantùm in humeris accepto vulnere, nando, lembi occurſu ad villam quae in Lucrino habebat, vehitur. Quod cum Neroni nunciasset Agerinus (Lagenus Suetonio, Lagerinus, vel L. Agerinus alijs codicibus) per quem dicebat vt *εὐαγγέλια* sibi mitteret quòd salua esset, interfectus ab ipso est, submisso celeriter Aniceto percussore. Qui Herculeo & Oloarito cēturione classiario adhibitis socijs, circumſistentes lectum, prior trierarchus fusti caput eius afflixit. Quae Centurioni ferrum distringenti protēdens vterum dixit, *Venter feri.* Id dictum Aniceto scribit Dio, *Παῖς τούτῳ Ανικητε, παῖς, ὅτι Νέρωνα ἔτεκεν*; *Hunc percutite Anicete, percutite, quoniam Neronem peperit.* Multisq. vulneribus confecta est. Idem Tacitus crematam eadem nocte Agrippinam dicit, conuiuali lecto & exequijs vilibus. Conuiuale autem lectum sic describit

Lib. 9. Dec. 4. Liuius; P. Licinij funeris causa visceratio data, & gladiatores cxxx. pugnarunt, & ludi funebres per triduum facti; post ludos epulum, in quo cum toto foro strata triclinia essent, tempestas cum magnis procellis coorta, coegere plerosque tabernacula statuere in foro. At tantum honoris Agrippinae non fuit exhibitus. Quin dùm rerum potiebatur Nero, non congestā aut clausam humo scribunt. Mox domesticorum cura leuem tumultum accepisse viam Miseni propter, & villam Caesaris Dictatoris, quae subiectos sinus editissima prospectabat. Accenso rogo, libertus eius Mnester cognomento ferro sibi mortem consciiuit; incertum charitate in patronam, an metu exitij. Domus Baulis Agrippinae ostenditur, quam sepulcrum vocant. In fornicibus crustae, in quibus Sphinges

&

& Gryphes, aliaq. his similia depicta; quas tamen imagines fumus in dies perdit, ex luminibus quibus accedentes vtuntur.

Piscinae Hortensij.

In eo littore Q. Hortensij oratoris villa est, cuius ruinae aut mari teguntur, aut littore proiectae iacent. Piscinas & stagna ibidem habuisse, diſteria Ciceronis declarant, qui Tritonem, & beatum piscinarium illum appellare solebat, idq. tribus de cauſis. Quòd pisces cicures ad manum venire solebant vocati. Quòd Murenæ mortem fleuit. Et quòd amico petenti duos mullos, duos mulos lecticae qua vehabatur dixit se libentiùs daturum. Hæc Villam Antonia Neronis Drusi mater possedit, quae amatae sibi Murenæ in aures addidit, vt ait Plinius, quamobrem visendi Baulos, multos cupido inuasit. Varro; *Q. Hortensius familiaris noster*, *cū piscinas haberet magna pecunia aedificatas ad Baulos, ita saepè cum eo ad villam fui, vt illum sciam semper in coenas pisces Puteolos mittere emptum solitum, neque satis erat eum non pasci piscinis, nisi eos ipse pasceret vltro.* Murenæ, Lib. 9. c. 55. Lib. 3.

Circus.

Ad Baulos maximi aedificij ruinae cernuntur, quas Mercatum Sabati vulgus appellat. Alij censuere Circum ibi fuisse; eòq. matrem Neronem accersisse ad Quinquatriorum festum. Quid verò Baulis Circus, si Baias euocauit ad sollemnia Quinquatrium simul celebranda, inquit Suetonius? & si ex Taciti verbis cognouimus Baulos primum aduectam matrem, misisse deinde Baias cum naui solutili?

Quo circa Baijs Circum constituemus. Quodcumq; tamen hoc aedificium fuerit, ad Quinquatria accedamus. Erant dies festi Mineruae. Quinquatrus propriè appellandos contendit Lambinus, cū Cicero dicat ad Coelium; *Ita tum multosae canciones, ita molestae Quinquatrus afferebantur.* Non Quinquatria festum Mineruae. Lib. 2.

Quinquatria.

— puer vt festis Quinquatribus olim.

Ede-

Edebantur in Albana villa Cal. Martij . Romae, in monte Coelio, Mineruae captae viii. Cal. Martias. Quinquatria tamen, & Quinquatrus lego. De Albanis Suetonius in Domitiano; *Celebrata & in Albano quotannis Quinquatria Mineruae, cui collegium instituerat.* De Romanis Livius; *Legati ex Macedonia Quinquatribus ultimis adeo expectati venerunt, ut nisi vesper esset, ex templò Senatum vocaturi Consules fuerint.* De eorum origine, Ovidius,

*Vna dies media est, & fiunt sacra Mineruae
Nomina quae à iunctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro,
Causa quòd est illa nata Minerua die.
Altera, tresq. super strata celebrantur arena
Ensis exertis bella Dea laeta est.*

Quod autem prima dies sanguine vacauerit, ità existimant aliqui, ut pugnarent quidem sed rudibus, non ferro. Aliqui quòd primo die fiebant sacrificia, & vacabant sanguine, hoc est humano. Alexander ab Alex. Quinquennales ludos, malè cum Quinquatribus confundit. In his festis ex Tranquillo in vita Domitiani intelligitur, praeter venationes, & scenicos ludos, Oratorum quoque & Poetarum fuisse certamina. Eodem etiam tempore, quod testatur D. Hieronymus, Munus Minerual appellatum, pueri quando vacabant, magistro offerebant. Sed ita appellatum Varro refert, vicinorum populorum exemplo, qui dies post sextum, & septimum Iduum, sexatrum, & septimatrum appellarunt. Paulatim tamen nominis errore consuetudinem irrepsisse, ut quinque dies crederentur.

*Lib. 5. de ling.
Lat.*

Sinus Euxinius.

*De origine
Vrbis.*

Inter Misenum & Auernum sinus Euxinius interpositus est, de quo haec leguntur apud Aurelium Victorem; *Addunt praeterea quidam Aeneam in eo littore Euxini in cuiusdam Comitris matrem ultimo aetatis affectam circa stagnum quod est inter Misenum Auernumq. extulisse, atq; inde loco nomen inditum, qui etiam nunc Euxinius sinus dicitur.*



MISENI PROMONTORIUM.

Cap. XXIIII.

UNTER promontoria quae in maria procur-
runt, atque habentur rerum magnitudine il-
lustria, Misenum nobilissimum existimādum
arbitror, proptereaquòd coeli clementia, vil-
larum nobilitate, antiquarum rerum monumentis, ciuita-
tis quae in eo condita fuerat antiqua & noua relligione,
cum vicinis vrbibus facilè contendere potuit. Summorum
Imperatorum consuetudine praeclarum piscinis, portu, Ro-
mana classe, admirabili aedificiorum mole nobilitatum.
Eo tamen nobilius, quòd indè veluti è specula in Cratere
illo nobilissimo, perpetuo littoris ambitu, aedificia quae
iacent, vnam ferè tantum ciuitatem oculi admirantur. Ne-
ronis oblectamētum & deliciae vt scribit Tacitus, quippe

Lib. 15.

*Et te mirantem Tbesspro subdita regno
Proxima Misenis aequora nobilibus.*

vt

ut ait Propertius, Habebatur tamen infame ob naufragia.

Lib. 1.

Miseno nomen inditum à Miseno Aeneae tubicini ibi mortuo sic enim Dionysius Halicarnassensis in Aeneae Itinerario, *Illinc verò delati in pulcriorē profundum in Opicis portum extincto ibi quoque Miseno quodam viro nobili ab eo portum Misenum nominarunt*; vel ad Auernum immolato, & ibi sepulto. Immortale nomen locus retinuit, Virg.

Lib. 6.

Imponit suaq. arma viro remumq. tubamq.

Monte sub aërio; qui nunc Misenus ab illo

Dicitur ———

idcirco Statius, ——— *lituoq. remoq. notatus*

Collis ———

Aërium dicit, vel quia è littore vbi Miseni tumulus erat, mons videtur in magnam altitudinem protendi; vel quia speluncis plenus, pensilis videatur. Sepulcrum nobile existimat Silius nam Troiana nomina continebat,

Lib. 8.

Nec non Misenum seruantem Idaea Sepulcro

Nomina ———

Strabo Cumis vicinum esse promontorium scribit, ijsq. interpositam Acherusiam paludem, & coenosam quandam maris effusionem. Ultrà Misenum sub ipso promontorio paludem dicit esse (λίμνη ἐνθὺς ὑπὸ τῇ ἀκρᾷ) quae absque dubio erat, vbi nunc mare immissum, quod Mortuum appellant.

Portus Agrippae.

Lib. 48.

Portus atque sinus Puteolani littoris, sic describit Dio; ἐν τῇ Κύμῃ τῇ Καμπανίδι χωρίον τι μεταξύ Μισσηνοῦ καὶ Πουτεολῶν μὴ θοοὶ δὲ εἰσιν. ὁρᾶσθε γὰρ σμικροῖς καὶ ψιλοῖς πλωτῶν βραχέων περιέλιπται, καὶ θάλασσαν τριπλὴν κελπάδων ἔχει ἢ μὲν γὰρ ἔξω τε καὶ πρὸς ταῖς πόλεσιν εἰσιν, ἢ δ' ὅλην διαρῇ ἀπ' αὐτῆς διαίρεται. ἄλλη ἐν αὐτῷ τῷ μεγάλῳ λίμνῳ δὴς ὁρᾶται, καὶ καλεῖται αὕτη μὲν Λουερνίς, ἢ δὲ μέση Λουκρινίς. ἢ γὰρ ἔξω τοῦ Τυρρηνικοῦ εἶσα, ἐς ἐκείνην καὶ τὴν ἐπωρυμνίαν τελεῖ. ἐν ταύτῃ δὲ τῇ θαλάσσῃ τῇ ἐντὸς ἐκατέρωθεν σενόεσσι τότε εἰσπλοῖς τὸ διαίρων τὴν Λουκρινίδα ἀπὸ τοῦ πελάγους ἐπ' ἀμφοτέρω παρ' αὐτὴν τὴν ἡπειρον ὁ Ἀγρίππας συντρέψας λιμένας ναυλοχῶτάτους ἀπέδειξεν; *Cumae, urbs est Campaniae, ibiq. locus quidam*

in lunae formam curuatus inter Misenum & Puteolos. is enim ferè totus montibus paruis ac nudis circumdatur, habentq. tres sinus maris quorum vnus extrà, propè ipsas vrbes est, Tyrrhenum vocant, quòd ad mare Tyrrhenum pertinet. Secundus, exigua inter capedine à priore dirimitur, Lucrino nomen est. Tertius in ipso recessu interiori, Stagni in morem, extat Auerni nomine. Proinde Agrippa in ea maris parte propter ipsam continentem, ad interstitium quod Lucrinum lacum utrinq; à mari dirimebat, angustis faucibus, per quas naues introire possent apertis, perfodit, effecitq; portus nauium stationi aptissimos.

Quibus ex verbis liquet portum ad Misenum ab Agrippa excogitatum, in quo faucibus tantum apertis, & immisso mari, portus perbellè fuit accommodatus. Neque antè ea tempora eius continentis partes portum habebant. Et cum Caesar apparatu bellico in Pópeium nauibus comparandis intrà & extrà Italiam maximè studeret, opus Agrippa ad eam rem missus perfecit. Nummus ei cusus est, in quo Neptunus sinistra delphinum, dextra tridentem tenebat cum hoc epigrammate, M. AGRIPPA. L. F. PRAEF. ORAE. MARIT. ET CLASSIS. Huic portui natura facto, Portum Iulium praeponit Iuuenalis

Nummus
Agrippae.

Lib. 4. Satyra
12.

— non sic igitur mirabere portus

Quos natura dedit ———

In hoc portu deinde Augustus classem, alteram Rauennae ad tutelam superioris & inferi maris collocauit, vt ait Suetonius. Idemq. factum à Tiberio Caesare meminit Tacitus; Italiam utroque mari duae classes Misenum apud & Rauennam proximamq. Galliae littus rostratae naues praesidebant, quas Aetica victoria captas Augustus in oppidum Foroiuliesem miserat validis cum remige, & quae sequuntur. Vegetius scribit apud Misenum & Rauennam singulas legiones cum classibus fuisse ne longius à tutela vrbis abscederent, & cum ratio postulasset, sine mora, sine circuitu ad omnes mundi partes peruenirent. Nam Misenatum classis Galliam, Hispaniam, Mauritaniam, Africam, Aegyptum, Sardiniam, atq; Siciliam proximas habebat. Rauennatum verò, Epirum, Ma-

In Tib. c. 49.

Lib. 4.

Lib. 4.

cedoniam, Achaïam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam, Cyprum. Chiliarchus Neronis aetate nominatur Volusius Proculus. Sub Tito, Plinius, conflagrante Vesuvio. Sub Vitellio ea classis defecit cum antea è classicis Rauennatibus legionariam militiam poscētibus, ad copias quas ducebat Siluanus, post fractum exercitum Vitellij à Vespasiano, adscitus esset optimus quisque. Varij lapides in ea re classica illam oram decorarunt. In quibus & Praefectorum, & militum, & ipsarum nauium extant nomina.

TI. CLAVDIO. ILO. PRAEF. CLASSIS. PRAETORIAE. MISENI. PVB. PROC. LVDI. MAGNI. PROC. CLAVDII. DACII. PROCOS. XX. HEREDITATIVM. PRAEF. VEHICVLORVM. PROC. CLAVDIA. ALEXANDRIN. PRAEF. TRIB. TRIB. LEG. VII. CLAVDIAE. PIAE. FIDEL. PRAEF. CON. II. GALLORVM. PRAEF. CON. II. BOSPHORANORVM.

Aliud,

L. SEMPRONIUS. PROCVLVS. VETERANVS. EX CLASSE. MISENIS. MIL. AN. XXVI. SIBI. ET CONIVGI. SVAE. ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM.

Item,

D. M.

L. SELFVCIVS. NAT. SVLFICIENSIS. MILES CLAS. PR. MISENATIVM. MILIT. AN. XXX. SCENICVS. PRINCIPALIS. VIX. AN. L. ANTONIA THEODOTE. SOROR E.

Practerea,

D. M.

C. SENIO. SEVERO. MANIPLARIO. EX. III. FIDE NAT. BASSVS. VIXIT. AN. LVI. MILIT. AN. XXVI. M. AEMILIUS. DOLENS. HERES. B. M. FECIT.

Ibidem,

D. M.

TI. PETRONI. CELERIS NAT. ALEX. EX. III.

ISIDE. VIX. AN. XL. MILIT. AN. XVII. TITIVS
AQUILINVS. EPIDIVS. PANSA. III. ISID. N.B.M
FECERVNT.

Aliud,

D. M.

C. IVLIO. QVARTO

VET. EX. PRAET. N. GALLO

CAECILIUS. FELIX. S. ICONIA. HERACLIA

S. E T. S.

In quibus, Fides, Isis, Gallus, nauium sunt nomina. *Lib. 2. de his.
Graec.*
A Xenophonte commemoratur Paralus nauis apud Athe-
nienſes. Talamegum reperies apud Aegyptios. E in Thu-
cidice, *Δελφινόφορον*, in qua Delphinus erat ex aere. *Πήγασος*
etiam apud Graecos. *Ταύρος* apud Pollucem. Quamobrem
nauibus nomina imponere, antiquum. Praefectum Vehi-
culorum, Veteranum, & Maniplarium notabimus. Prae-
fectus Vehiculorum, intelligendus est is quem alio nomine
Magistrum nuncupabant. Ea verò non Vehicula publica *Lib. 4. de bel-
lo Ciuil.*
erant, de quibus Appianus de Pomponio loquutus, *ἵνα μὴ
γινώσκῃν πρὸς ἑτέρου, καὶ παρὰ ταῖς πύλαις ὀχημάτων τε δημοσίων ἐπέβη;*
Ne agnosceretur ab alijs, & ad portam conscenso Vehiculo publi-
co; atq; haec quidem à Praefecto Praetorio, sumptu publi-
co Augustorum populiq. Romani alebantur. Sed Vehicu- *Vehicula.*
la in exercitu, quorum Praefecto & Magistro vectores &
aurigae obtemperabant. Veteranus, inquit Suidas, à Ro-
manis dicitur militia dimissus. In xx. autem annos mere-
bant. Idcirco in Codice Iustiniani, Veterani definiuntur, *Veterani.*
qui post vicesima stipendia honestam vel causariam missio- *Missiones.*
nem sunt consequuti. Causaria tamen missio post expleta
stipendia non datur. Soluebantur post emerita stipendia
omni munere militiae, sed non pugnae in hostem. Nec iam
sub signis aut Aquilis erant vt alij milites, sed sub vno Ve-
xillo habebantur seorsim, & dicebantur Veterani, & Ex-
authorati. Ideoq. Miseni quoque,

L. ATILIO. L. F. CRESCENTI. ET. AVG. MISSE
HONESTA. MISSIONE. EX. CON. VI. PRET. L.
ATILIVS. TROPHIMVS. ET. L. ATILIVS. EV-
THYCHVS. LIB. ET. HEREDES. PATRONO. OP-
TIMO. ET. B. D. S. M. FECERVNT. ET. SIBI. ET
SVIS. LIBERTIS. LIBERTABVSQ. POSTERISQ.
EORVM. H. M. EX. TEST. NON. SEQ. VETVR. NEC
HERES. MONVMENTVM.

Augusti aevo duplex haec missio facta est, ut plena mis-
sio in Colonias & domū deduceret. Ex authoratio, ut quam-
vis immunes à vigilijs & excubijs redderet milites, non ta-
men exciperet à pugna in hostem. Tiberius rarissimas Ve-
teranorum fecit, ut inquit Suetonius, ex senio mortem, ex
morte compendium captans. Et emeritus, dicebatur *ἐν τι-
μος κατὰ στρατιωτικούς καμάτους*, quo circa immunes erāt, & ope-
rum vacui.

Quatuor tamen missiones numerat Lipsius. Honestam,
confectis stipendijs. Causariam, ob vitium vel morbum.
Gratiosam, per gratiam ab Imperatoribus impetratam. Et
Ignominiosam, qua criminum causa quis militia solueba-
tur. In pedite, xx. annorum conficiebatur stipendium. In
equite, x. In Nauticis, x xv. Maniplarius is est, quem
Graeci *Ἀρχηγὸν ὄχλου* dicebant. Atq; ita habetur in Glossis,
& si, *λόχου* legendum plerique existimant. Erat is manipuli
ductor, qui tribus vexillis constabat.

Aedificia.

TRACONARIA piscina inter varia Miseni aedifi-
cia cernitur Graecam vocem retinens, *τραχὼν* enim meatus
aquarum significat, quorum causa à Nerone fuisse inchoa-
tam scribit Suetonius, *Praeterea inchoatam piscinam à Miseno
ad Auernum lacum contectam*, Porticibusq. habent manu scripti
conclusam, quò quicquid totis Baijs calidarum esset committeretur.
Spectabile aquarum Castellum, in quod per fistulas aquae
pluviarum ex promontorio defluebant, in altum ad pedes

xx. exurgens. Longitudinem, & latitudinem collapsae testudines oppleuerunt. Medium eius spacium patet inter duos parietes in latitudinē pedes cc. in latitudinē xvi. In utroque latere medij transitus per portas quatuor aditus patet in cellas amplas quaternas, quarū testudines decussatim fornicibus iunctae parietibus intermedijs impositae sunt.

Piscina quam MIRABILEM vocant, admiratione profectò digna est. Opus illud Regium, concameratione, pilis xlviii. innixa, pedes ternos vndique crassis. Quae quatuor ordinibus numero quaternario distributae, symmetriā quinctuplicis porticus per elegantem longitudinem efficiunt. Longa, passus ccl. lata, clx. Lateritia ac solida structura, crasso muro, parietibus diligentissimo tectorio vestitis. Quod durissimum factum existimarem, quoniam diutissimè aquas retinuit. Foramina in testudine, vnde hauriebantur aquae. Per scalas lapideas ex duobus lateribus graduum xl. eò descendebant. Alteram hoc tempore obstructam conspiciamus. Pavimentum summa industria constipatum, adhuc pluuias aquas retinet. Luculli opus hanc piscinā arbitrati sunt propter eius villae vicinitatem, quam in sinu illo habuisse scribit Varro; *In Baiano autem tanta ardebat cura, ut Architecto promiserit ut suam pecuniam consumeret, dummodo perduceret specus è piscinis in mare, obiectaculo quo aëlius bis quotidie ab exorta Luna ad proximam nouam introire, ac redire rursus in mare posset & refrigerare piscinas.* Agrippae opus tribuo, ut aquis quoque classi consuleret. Quò etiam fluminis aquas quae è Serino emanant per aquaeductus fuisse immixtas scribit Bocaccius libro de Fluminibus. Aliquot eius operis extant vestigia ad Neapolim, quae per Hermitem & vicina loca, per Puteolos, Misenum deducebantur. Vallem Sebethi appellabant accolae petras vndè scatebant, deinde Sabatum dixere immixtum fluuiio Beneuentano. Anno 1593. cum ipse in Irpinis ad rem frumentariam comparandam Neapolitanae vrbis, cōmorarer,

eiusdem

Lib. 3. de re. a.
rust.
Cap. 7.

Vallis Sebe-
thi.

eiusdem ciuitatis vsui eandem aquam deducendam Magistratus decreuerunt, & missi machinatores qui ad libellam exigerent, duce Ioanne Simone Moccia equite Neapolitano, vt ad ciuitatem ducta aqua, moles frumentarias constituerent, fontesq. eminētioribus ciuitatis locis aperirent. Hominum tandem opinio refrixit. Ad aquas Luculli seruandas aliud Castellum aedificatum fuisse, quod centum cellas appellant, arbitrati sunt. Id facilius do.

Villae.

*In Tib. c. 75.
Lib. 6.*

In villa Luculliana obiisse Tiberium, scribunt Suetonius & Cornelius Tacitus. Quorum alter; *Repetere Capreas quodammodo distinauit, non temerè quicquam nisi ex tuto ausurus. Sed & tēpestatibus, & ingrauescente vi morbi retentus paulò post obiit in villa Luculliana*; Alter verò; *Tandē apud promontorium Miseni confedit in villa cui Lucullus quondā dominus*. Dio lib. 58. *ἐφθασε γὰρ ἐν Μισενῷ μεταλλάξας πρὶν τι αὐτῶν μαθεῖν*; *Miseni mortuus est antequàm de ijs causis resciret. Dum Caius eius mortem acceleraret.*

Haud longiùs C. M A R I I villa. Hanc Plutarchus in eius vita ad Misenum ponit, magnifica domo, sumptuosiore & delicatiore quàm tanto Imperatori militiae alumno conueniret. A Cornelia ccc. sextertijs empta, pro qua postea L. Lucullus centies sextertium expendit; & miratur tam breui spatio adeò sumptum excreuisse, tertiam enim pretij parrem Lucullus superauit, si sextertiorum rationem animaduertemus. Cùm verò Marius militia se abdicasset, adductusq. esset in concionem à Sulpitio Tribuno plebis vt contra Mithridatem bellum gereret, populus in diuersas partes abiit, alijs Marium probantibus, alijs Syllam vocātibus, & Marium ad Baias ire vt corpus senio confectum ibi curaret, iubentibus. Plinius; *Posuit in Misenesi villam*. C. Marius VII. *Consuli, sed peritia castrametandi sic vt comparatos ei coeteros etiam Sylla felix caecos fuisse diceret. Eos deindè hortos coemit, & coluit. Valerius Asiaticus qui bis Con-*

Lib. 18. c. 6.

ful

ful fraude tandem Messallinae & Vitellij euersus est. Tantum vero hisce hortis studuit, vt *inbiantem* dicat Cornelius Tacitus; *Hortis inbians quos ille à Lucullo emptos insigni magnificentia extollebat. Claudius Caesar qui eum perdere cupiebat, cum militibus tanquam opprimendo bello Crispinum praetorij praefectum misit; à quo repertus est apud Baias, vinclisq; inditis ad urbem raptus.*

Cornelia.

C. Gracchus, eius Gracchi frater qui legem Agrariam tulerat, cum eadem de causa acerbissimas in Rep. seditio- nes excitasset, cumq. duo Flacci pater & filius qui ex aede Lunae in priuatam quandam domum defiluerant, confossi essent, occisus est, & caput allatum Consuli, corpus verò ad Corneliā matrem Misenum oppidum deuectum est. Quae Cornelia Africani maioris filia, Misenu prioris filij obitus causa decesserat, vt scribit Paulus Diaconus lib. 1.

Echini.

Misenates Echinos laudat Horatius.

*Murice Baiano melior Lucrina, Peloris
Ostrea Circaeis, Miseno oriuntur Echini.*

Satyr. 4.
Lib. 2.

Ecclesia Misenas.

Misenatem Ecclesiam Cumanae coniunctam fuisse, in Cumana dicemus. Zosimus sub Diocletiano, Eleutherius Episcopus, & Antia mater sub Adriano, martyres Miseni celebrantur. Licet in annotationibus in Martyrologium, Illustrissimus Baronius scribat hallucinatos esse, qui eos Miseni martyres constituunt, veluti & eos qui, Missenij, & Messanae. arbitratur enim, Messapiae esse legendum. Quòdque Rhegino monachus qui floruit anno 919. apud Triterium scribat, apud Mesenam in Apulia, erroris arguitur, collocato Miseno in Campania.

Martyres.

Miseni S. SOSIVS (Sanctus *Sosios*, à seruando dictus)
Leuiti-

Leuiticum ministerium exercuit ; qui trigefimum annum agens , martyrium cum S. Ianuario Episcopo suscepit 1 x. Calen. Octobris anno 289. Habet eius corpus Neapolis in aede S. Seuerini. De quo sic Martyrologium ; *In Campania commemoratio B. Sosij Diaconi Misenatis , quem S. Episcopus Ianuarius cum illius capite Euangelium in Ecclesia legēis flammam videret exurgere, martyrem futurum pronunciauit . Et non post multos dies , cum ipse esset annorum xxx. martyrium cum eodem Episcopo capitis detruncatione suscepit.*

Eius translationem in eius vita describit Eugipius. Cum enim Longobardorū persecutio crudelitatis flammam in toto orbe terrarū , & praesertim in Campania accendisset , Christianorum parietes in Misenati oppido potissimū lambere ad ruinam videbatur . Auidius illud oppidum petiere , ob Sibyllae Vatis sepulcrum quod indè haud longius aberat . Conscius factus fuerat Sicardus eius gentis princeps , Sosij corpus , qui cum Ianuario & socijs , Puteolis martyrium passus fuerat , Miseni à ciuibus sepulcro seruatum templo eidem condito . Quamobrem cum diū fodisset , corpus inuenire non potuit . Missis deindè ab Abate S. Seuerini , Athanasio monacho , & Petro subdiacono corpus inuentum est , & Neapolim translatum , permittente Stephano Neapolitano Episcopo , & annuente Ioanne Episcopo Cumano . Sexaginta annos post Sosij mortem , à Sarra- cenis oppidum Misenum demolitum fuisse affirmāt , & solo aequatum .

EPISCOPI. BENENATVS cui Cumanae Ecclesiae Visitatori , mortuo Liberio eius ciuitatis Episcopo , eandem Ecclesiam commendat B. Gregorius his verbis ; *Quoniam Cummae Ecclesiae Liberius quondam Antistes de hac luce migrasse cognoscitur , propterea visitationis destitutae Ecclesiae Fraternitati tuae operam sollemniter delegamus, etc.* Illud etiam adiiciens vt nullum de alia ecclesia eligi permittat ibi Episcopū , nisi fortè inter Cumanos clericos vllus esset , quem ad Episcopatus onera euehi posse sibi persuaderet. Ne praeterea

recrea laico cuiquam, eam dignitatem aemulari permetteret. Hunc Benenatum Misenatem fuisse Episcopum idem Gregorius exprimit ad Anthemium Subdiaconorum scribens; *Lib. II. ep. 30*
Comperimus Benenatum Misenatem facinus quod de se per scripturam manu prius professus est, abnegare. Et ideo quia huius sceleris negatio sicuti maiore discussione, ita & maiore indiget ultione Videtur deindè Pontifex eidem Episcopo pecuniã dedisse qua Miseni castrum extrueret, cuius partem apud se Benenatus retinuit, & tunc priuatus Episcopatu cernitur. Sic enim ait; *Peruenit ad nos quoddam Benenatum Misenatem* *Epist. 36.*
Episcopũ pro costruendo illic castro solidos accepisse. Et quia pars eorum solidorum apud eum dicitur remansisse, experientia tua subtili indagatione perquirat, & si quid manifestè de ipsis solidis cognouerit remansisse, Comitatio Comiti praedictae ciuitatis sub de suscepti illud pagina contradat, atque immineat, ut in consuetudine eiusdem loci sicut sunt dati, Deo adiuuante proficiant; quia ratio nulla permittit, ut proprijs cuiusdam vsibus applicetur, quod pro communi utilitate datum esse cognoscitur. Idem Pontifex *lib. 7. epist. 25.* Eandem ecclesiam Fortunato Episcopo Neapolitano commendat, & Visitatorem eundem illi iungit; *Cognoscentes Misenatem Ecclesiam sacerdotis regimine destitutam visitationem eiusdẽ Ecclesiae Fraternitati tuae operam sollemniter delegamus etc.* iisdem verbis vsus quibus ad Benenatum scripserat. Miseni montis partes tres possidet Archiepiscopus Neapolitanus, aliosq. agros qui ad mare moruum procurrunt.

Comitiua.

Ex superioribus Gregorij verbis, Comitium cognoscimus Misenatem, eiusq. Comitem Comitatum iam indè ab anno 590. quo ad Pontificatus apicem Gregorius est euectus. Cuius etiã aetate Puteolanum Comitem notauimus. Vectanum etiam Comitem commemorat idem Põtifex ad Maurentium Ducem Neapolitanorũ scribens, & tunc Fortunatum Neapolis habebat Antistitem.



C V M A E.

Cap. XXV.



ON Cumanas describimus Insulas propè Cubagas & Terarequas ad Septentriones in quibus cõchas margaritarum vrinatores expiscantur vt ait Bembus. nõ Cumanam regionem Perù littoralem, in qua homines parum vident, cùm nebulæ in eorum oculis generentur, vt ait Cardanus; non Cumanos, Cumaniae populos, Vngaris finitimos, qui descuerant ad Tartaros, vt ait Bonfinius,

Sed C V M A S exiguum oppidum at munitissimum & nõ facile expugnatum, vt ait Agathias. (qui πόλισμα Ἰταλικόν illud appellat) quodq. plurimorum Ducum virtuti obstitit; paulò post annum octuagesimum belli Troiani absoluti vt placet Paterculo, anno salutis 4113. vt Eusebio, Chalcidenses aedificatum. Chalcidensibus & Cumaeis tribuit Strabo, χαλκιδάων καὶ κυμαίων παλαιότατον κτίσμα. Eretriensibus, & Chalcidensibus Dionisius Halicarnasseus. Andrijs & Chal-

Lib. 6. Hist.

Lib. 4. hist.

De rer. var.
lib. 1. c. 4.

Lib. 8. Dec. 2.

Lia. 1.

Lib. 5.

Lib. 6.

Chalcidensibus aliqui, Plutarchi auctoritate in Quaestio-
nibus Graecis freti, simul enim Colonias deduxere. Eu-
boeensibus Solinus, & Virgilius,

Lib. 6.

Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.

Qui tamen iidem sunt, nam Chalcis Euboeae ciuitas est.
Liuius; *Cumani ab Chalcide Euboica originem trahunt*. Atque
in eo loco Silij Italici.

Lib. 3.

Dec. 1.

Lib. 12.

—— *regressus ad altos*

Inde Pherecyadum muros ——

docti viri aiunt Cumanos & Neapolitanos Pherecyades di-
ci, à Pherecyde eorum duce. Eusebius in Chronicis scri-
bit; *Mycena condita in Italia, quae nunc Cumae*. Opus est ora-
culo.

Situs.

Dionysius in Opicis illud collocat, qui secunda pars Cam-
paniae erant. Sed Opici ab Osciis, Osci à Chalcidensibus,
Chalcidenses à Tuscis eiectioni. Erat autem Campania sic di-
stributa, ut vnam partem Ausones, Aurunci, Sidicini, &
Capuani incoherent. Aliam, Cumani & Opici. Tertia Nucerini.
Prima ad mare clarissimis oppidis Sinuessæ & Vul-
turno; intus vero, Gauro, Massico, Falerno montibus,
Stellate campo, Sueffa Aurunca, Calibus, Casino, Thea-
no Sidicino, Venafro, Calatia, Callicula, Trebula, Casti-
lino, Silva Gallinaria, & capite regionis Capua. Secunda,
ad mare, Linternum oppidum cum flumine habuit, Cumas,
Misenum, Baias, sinum Lucrinum, Auernum, Puteolos,
Neapolim, Heracleam, omniaque in sinu qui Crater dici-
tur. intus, Atellam, Abellam, Sueffulam, Acerras, mon-
tem Vesuuium, Nolam, Pompeios. Tertia, ad mare, Sta-
bias, Surrentum, Mineruae promontorium; in mediterranea-
neis, Salernum, & Nuceriam. Produxerant enim Campa-
niam à Liri amne ad Vulturum, à Vulturno ad Sarnum,
indè ad Silarim, qui hoc tempore aliam constituit regionem.
Situm ait esse oppidum Agathias arduo & difficilem aditum

*Campaniae
diuisio.*

*Cumarum
fitus.*

habente colle, & veluti specula maris Tyrrheni. Imminet enim littori collis, ut ad eius pedes fluctus illisi frangantur. Editiore loco valle cinctum, turribusq. & propugnaculis validissimae structurae.

Antiquitas.

Lib. 5.

Παλαιότατον, appellat Strabo, quod omnibus Italicis, Siculis, Graecisq. Colonijs deductis antiquitate antecelleret. Et ut nomen originemq. ostenderet, duos classis ductores nominat, Hippoclem Cumaeum, & Megasthenem Chalcidensem inter se qui ita conuenere, ut alterius esset Colonia, alterius Coloniae appellatio. Atque ita Chalcidensibus Colonia debetur, nomen verò Hippocli. Eisdem Cumanos antea in Siciliam appulisse, & condidisse Zanciam scribit Eusebius ducibus Periere Cumano, & Crataemene Chalcidense. Quae cum ijs quae scripsit Pausanias in Messenicis non conueniunt; Ζάγκλιω ὃ τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς κατέλαβον Λησαῖ, καὶ ἐν ἐρήμῳ τῇ γῇ τειχίσαντες ὅσον περὶ τὸν λιμένα ὀμνητήριον πρὸς τὰς καταδρομὰς καὶ ἐς τοὺς ἐπίπλους ἐχρῶντο, ἡγεμόνε δὲ ἦσαν αὐτῶν Κραταμένης Σάμιος, καὶ Περιήρης ἐκ Χαλκίδος; Zanciam ab initio praedones tenuere, castellum enim deserto loco circa portum, & excursionum maritimarum receptum quo ex alto appellerent, munierunt. Eorum duces fuere Crataemenes Samius, & Chalcidensis Perieres. Aut enim antè Messeniorum bellum Zancle aedificata fuerat, aut duo illi duces non Cumanos, sed Messenios duxerunt. Strabo primam opinionem ex Antiocho refert. Est autem Cuma Aeolica vrbs in agro Locrensi, Aeolicarum urbium maxima. Hesiodi poetae, & Ephori historici Isocratis discipuli patria, & fortasse Homeri ut innuit Strabo, & Aretinus in libello de mirabilibus Puteolanis, à Cumaeis Homeros, coecos esse dictos asserit ab Herodoto mutuatus in libello de vita Homeri; ἐν τεύθει δὲ καὶ τοῦνομα Ομήρος ἐπεκράτησε τῷ Μελισσηγενεὶ ἀπὸ τῆς συμφορῆς. Οἱ γὰρ Κυμαῖοι τοὺς τυφλοὺς, ὁμήρους λέγουσιν; Atque hic primum Homeri nomen Melisigeni inditum; à caecitatis videlicet calamitate. Nam Cumanicaecos, Homeros dicunt.

Cap. 13.

dirunt. Cumam Sami sociam facit Appianus in Syriacis , meminitq. Thucidides . Sic autem dicta à Cyme Amazon-
ne , vt ait Stephanus , qui contrà Lesbum eam describit ; *Lib. 3.*
ἡ καλεῖτο δὲ Ἀμαζόνιον. Et Pōponius Mela ; *Cymen nominauit* (*pul-*
fis qui habitabant) *Dux Amazonum Cyme*. Sed paulò post Ste-
phanus eiusdem nominis urbem in Italia ponit ; *ἡ δὲ καὶ ἐν τῇ*
Ἰταλίᾳ , *ταύτης τὸ ἑθνικὸν Κυμεύς*. Alias etiam in Pamphilia, in
Phryconitide , & in Elide collocat . Insulam praeterea hoc
nomine appellat ad Siciliam . Originis vetustatem ab anti-
quissima Euboeae Cyme proposui . Quare Statius, Cymen *Silu. lib. 3.*
Cumas dixit.

— *Ausonij pridem laris hospita Cyme.*

Felicitas.

Fortunatā urbem initio fuisse Cumas Strabo scribit , nec
alia de causa in Phlegraeis campis Gigātum ortam esse fa-
bulam , quàm ob agri fertilitatem , coeliq. amoenitatem ,
quibus certatim sibi locum vindicare multi conati sunt .
Eius verba haec sunt ; *Πρότερον μὲν οὐκ ἦν τύχη καὶ τὸ φλέγαι καλού-*
μενον πεδίον ἐκ τοῦ περιμάχητον τὴν γλῶσσαν εἶναι δὲ ἀρετὴν ; *Atque ab initio*
quidem urbs ea fortunata fuit ; & quae de Phlegraeis campis fa-
bulantur ac re ibi cum Gigantibus gesta, non aliundè videntur or-
ta, quàm quod cam regionem ob soli virtutem multi sibi certatim
vindicarunt . Tantaе felicitati obfuerunt Campanorum &
pestis iniuriae & calamitates . A Campanis multis contu-
melijs affecti sunt Cumani . Haud multò post maxima sunt
peste afflictati, quo circà alias sedes querere coacti sunt.

Nomen.

Ab augurio granidae mulieris , quam dormientem inue-
nerunt cum primùm ex Pithecusis discedentes vbi post va-
rias nauigationes constiterant , Cumas esse dictas putant ,
κύμη , enim vterum ferre significat , quod *κυφορεῖν* etiam di-
xit Lucianus . Et *κύμα* , pro *κύημα* , per crasim id significat
quod in vtero gestatur . Alijs , *ἀπὸ τῶν κυμάτων* , ab undis ;

κύματα

ὠνομαῖδι δ' ἐνιοὶ Κύμῳ ἀπὸ τῶν κυμάτων φασί, βαχιδίης προσεχῆς ὁ πλήσιον αἰγιαλὸς; *Sunt qui à fluctibus* (hi enim Graecis κύματα) *factum urbi nomen putent. Est enim vicinum littus scopulosi instar dorfi mari obiectum. Quod ab Agathia supra dictum retulimus. Seruius lib. 3. Aeneid. ibi,*

Hic ibi delatus Cumaeam accesseris urbem,

*vtramque amplectitur opinionem. Eubaea (inquit) insula est, ex cuius ciuitate Chalcide Coloni profecti sunt ad nouas sedes quaerendas, & haud longè à Baijs (qui locus à socio Vlyssis Baio illic sepulto nomen accepit) inuenerunt vacuum littus, ubi visa muliere grauida (quod illi foecunditatis augurium interpretabantur) ciuitatem condiderunt, quam Cumas appellauerunt ἀπὸ τῆς κύοντος, hoc est à praegnante; siue ab vndis quas Graeci κύματα appellant. Quod si quis Chalcidensium nauigationi tribuendum existimauerit, non displiceret, Cumas quietem significare, cùm post tot maris labores in eo tandem colle quieuerint. κυματίζειν enim, idem quod vndis agitari. Et Ephorus qui in rerum gestarum enumeratione cùm nihil haberet quod à suis diceret gestum, & tamen patriae vellet mentionem facere, acclamauit, Κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν καιρὸν Κυμαῖοι τὰς ἡσυχίας ἦγον; *Eo tempore quieti erant Cumani. Quibus tamen reiectis, nomen ad antiquam Cymen refero.**

Strab. lib. 13





CVM AE TYRANNIDE OCCVPATAE.

Cap. XXVI.



T. Geganio Macerino, & P. Minutio Coss. cum grauior annona Romanam urbem inuasisset, à Senatu in Etruriam, Campaniam, agrumque Pomptinum Legati ad quam maximam frumenti copiam coemendam, missi sunt. Quibusque dominabantur oppidis Tyranni. At in Sicilia Gelo Denomenis filius, Cumis vero Aristodemus cui cognomen Malacho, quod effeminato esset animo. Effeminatum verò, & eum qui muliebria patitur, *μαράκον*, dicebant. Is ad tyrannidem huiusmodi euectus est. Inuidebant Etrusci, Umbri, Daunijq. Cumanorum felicitati tribus de causis. Quod diuitijs & potentia coeteris Italis praeftarent. Quod Campaniae felicissimam partem possiderent. Et quod propè Misenum munitissimos portus haberent. Quamobrem eius urbis euer-

Anno 322.
apud Liu.

tendae

*Prodigium in
fluminibus.*

tendae desiderio accensi, comparatis ijs omnibus quae ad profectionem pertinerent, cum quingentis equitum, & decem & octo peditum millibus, obsidionem parant. Castris non longè positis, inaudito prodigio Vulturnus & Glanis flumina à naturali cursu ab ostijs ad fontes sunt reuocata.

Quae res tantos Cumanis fecit animos, vt nec timore, nec hostium copijs perterriti, & quòd homines inimico animo ab iniuria & maleficio non temperaturos existimabant, nihil sibi antiquiùs quàm fortiter pugnare sibi persuaferint. Tripliciq. acie instructa, quarum vna vrbs, alia nauium praesidio relicta est; tertia quae ad moenia hostem exciperet. Vbi proelium Barbarorum clamore indici Cumani animaduertunt, (barbaros qui Graeci non erant appellabant) tanto impetu hostium phalanges quae tumultuarijs signis accedebant, adorti sunt, vt & virium robore freti, & iniquitate loci quae inter vallis angustias ijs erāt impedimento, manus tam acriter conseruere, vt paucis militibus ingentem barbarorū numerum profligarint. Accedit eo quòd Graecis coelum ipsum fragore & tonitrib. imbribusq. opem tulisse visum est, vt victoria eos potituros significaret. Inter proeliātes Aristodemus summa virtute enituit, qui cum parato animo hostium impetum sustinuisset, ipsum Etruscorum Ducem aliosq. quamplurimos interemit.

Parta igitur victoria, sollēnibus sacrificijs factis, iustisq. pro ijs qui in pugna ceciderant persolutis, inter Cumanos disceptatum, cui nam victoriae gloria esset deferenda. Senatus, Hippomedonti Equitum magistro, plebs Aristodemo fauebat. Sed ne ciuilis discordiae ambitione ducti arma caperent, Aristodemum plebi praefecerunt, qui & dicendi facultate qua plurimum poterat, & largitionibus quibus omnium beneuolentiam consecretabatur, plebis animos quae his artibus facile capitur, maximè sibi conciliarat.

Cumq. Aricini à Cumanis contrā Etruscos auxilium peterent, quorum Rex Porfena Aruntem filium cum copijs miserat,

miserat, vt Imperium sibi quaereret, Optimates occasionem naëti vt Aristodemum perderent, duobus millibus militum praeficiendum curarunt, sic enim illum posse occumbere arbitrabantur. Qui tamen selecta Cumanorum manu socijs victoriam adeptus est, multa. ex ea pugna praeclara praedae monumēta reportauit. Indè odium sibi apud suos est concitatum. Sed vt omnem fortunam superaret, conuocari Senatum iussit, vt quae gesta essent explicaret, & coniurationis socijs adhibitis, cum primùm de Republica & bello agi coeptum est, irrupere sicarij, qui Optimates ad vnum iugularunt. Tunc solutis ex vinculis ijs qui capite damnati erant, & Etruscis iuuenibus captiuis ad sui corporis custodiam constitutis, habita ad populum concione, de diuidendis agris, & de soluendo aere alieno primum egit, quibus popularium animos est aucupatus, atque huiusmodi annuentibus ijs, principem ciuitatis locum obtinuit.

Arma in Deorum templis deponi hortatur & persuadet, facile indè posse ea repeti si quandò opus esset. Quòd si quid armorum aliquis occuleret, in eo scelere contra edictum comprehensus, illicò interficiebatur. Comparato igitur ex perditissimis ciuibus, & seruis dominorū caede pollutis satellitio, duobus quoque militum millibus mercede conductis, Tyrannidem confirmauit, bona interfectorum inter sceleris ministros diuisit, filios eorundem vrbe excedere iussit, coniuges interemptorum seruis nubere compulit. Qui tamen deinceps sceleribus, fordidis moribus, & crudelitate Principatum dedecoris infamia deturpauit, & Gymnasia, armorumq. exercitationes quibus florebant Ephebi, sustulit. Cincinnis, reticulisq. iuuenum capillos religari (quos Coronistas appellatos ait Plutarchus) calamistris componi, cerussa purpurisq. talaribusq. pictis togis indui iussit, vt more virginum Cumana pubes in vmbra degeret, saltatorum & tibicinum illecebris detineretur, & vteretur balneis & vnguentis; & feminae abrafo capite, deposito

*Aristodemi
luxuries.*

*Opusc. de
mul. virtute.*

capillorum ornamēto, breuibus suprà crura tunicis se am-
cirent, flagrarent odoribus, omnem porrò virilem cultum
corrumpens. Quo circà in tantam omnium inuidià raptus
est, quòd ipsa scelera scelestos odio habere cōsueuerunt, vt
tandem aliquādò graues Dijs hominibusq. iam senex poe-
nas dederit, cum x i i i i. annos Tyrannidem obtinuisset.
Regiam exules qui Cumis degebant aggressi, vel potius fi-
lij ab ipso caesorum qui Capuae erant, & Hippomedontis
Magistri equitum filij cum multis cohortibus sequuti, som-
no vinoq. sepultos custodes inuētos, omnes more pecudum
obtruncarunt. Et ad Optimates res Cumana redijt.

Xenocrita.

Alij Xenocritae factum tribuunt. Haec mulier quam ar-
debat Aristodemus, aegrè ferens à Tyranno non vtili ope-
re, sed vt ciues aerumnis & labore conficeret, agrum Cu-
manum perpetuis operibus vexari, & fossis cingi; patriae
libertati studens, cū discedente aliquandò Aristodemo
vultum deflexisset, & alij adolescentes operi tyrannico oc-
cupati, percunctati essent, Quid malum Aristodemo tan-
tū oculos & vultum aperiret? respondit; Proptereaquòd
vnus inter Cumanos Aristodemus vir est. Vos pecora, an
mulierculas appellem? Quid malum vos effeminato animo,
truculenti hominis mores ferre potestis? Haecine Cuma-
norum audacia? Quibus verbis cōmotos ad libertatem re-
cuperandam eos vehementer inflammavit, & coniuratio-
nis principem Timotelem ad eum opprimēdum iuuit, cū
Regiae foribus ab ipsa noctu patefactis, cum cōiuratis ma-
nus ipsa quoque in Tyrannum iniecisset. Cui cū magnos
honores & dona ciues pollicerentur quoniam Cumas in li-
bertatem pristinam vindicauerat, repudiatis omnibus, hoc
tantū petijt, vt corpus Aristodemi per ciuitatē sibi effer-
re liceret recuperatae libertatis Trophoeum. Quod licuit,
& in Cereris Sacerdotem eam elegerunt.

*Aristodemi
caedes.*

Exules

Exules. Tarquinius.

Viuebant ea aetate exules qui cum Tarquinio Rege Roma profugerant Cumas. Hi ad suppliciū Legatos frumentarios vocarunt, detentis nauibus. Vtq. Tyrannus annueret, miris modis petiere. Sed infecta re postularunt vt saltem sibi liceret pignoris loco eorum corpora detinere, donec ab vrbe Roma quae eos miserat bona reciperent, quae à populo Romano iniuste publicata dicebant, ipsumq. Tyrannum litis iudicem constituerunt. Negantes Legati sese publicae causae agendaе potestatem vllam habere, & ab Senatu ad frumentum comparandum tantummodò missos afferentes, cū animaduenterent Tyrannum esse in exules propensio- rem, dūm ad dicendam causam tempus esset erogatum, Cumis aufugerunt. Ibi Tarquinius obiit. Petrar- Tarquinius
obit Cumis. cha in Itinerario; *Ad laeuam cuius humili colle Sibyllae patriam videbis, vbi Tarquinius Superbus regno pulsus, tandemq. Tuscorum & Latinorum destitutus auxilijs, exul obiit.* Pleriq. Comi ad Mediolanum vocis similitudine decepti afferebant. Eutropius tamen, tertio anno post Reges exactos cū Tarquinius suscipi non posset in Regnum neq; ei Porfenna qui pacem cum Romanis fecerat, auxilium praestaret, Tusculum se contulisse scribit, ibiq. per x i i i. annos priuatum cum vxore consenuisse. Lapidem Tarquinij Collatini Cumis repertum seruat Neapoli Marcellus Girardus.

D. M.

COLLATINVS. TARQ. DVLCISSIMAE MEAE
CONIVGI. ET. INCOMPARABILI. LVCRE-
TIAE. PVBORIS. AC. MVLIERV. GLORIAE
QVAE. VIX. AN. XXII. M. V. D. XVI.

T 2 CUMA

C V M A N O R V M H O S T E S.

Cap. XXVII.

*Foedus Etru-
scorū & Cu-
manorum.*



HAVD diù post Tirannidem eiectam, Cu-
manis ocium fuit. Athenis enim Acesto-
ride, Romae Caesone Fabio, & T. Virgi-
nio Coss. Etrusci (ijdem & Tyrrheni)
Phoenicum coloni, inito cum Poenis foe-
dere, aduersus Cumanos terra mariq. bel-
lum concitarunt. Et cùm ij eorum impetum substinere non
posse considerent, ad Hieronem Syracusanum Legatos mi-
serunt, qui ab eo impensè peterent, vt opem atque auxi-
lium calamitoso tempore afferrent. Is confestim paratam
classẽ cõtrà hostes misit. Confertoq. certamine, Syracu-
sani victores euaserunt. Atque ità Tyrrhenis partim caesis
iuxtà Himeram flumen, partim fufis submersisq. Sicuti Cu-
manos ab hostium crudelitate eripuerūt. Florere rursus res
Cumana coeperat, cùm nouum illis cum Campanis bellum
oritur, quos dominandi libido incefferat. Et anno ab v. c.
335. quo tribunitia primum Comitia habita sunt, creatiq.
cum Consulari potestate patricij L. Quinctius Cincinnatus
tertium, Sex. Furius Medullinus iterum, M. Manlius, &
A. Sempronius Atratinus, inter bellorum difficultates, à
Campanis Cumae, quam Graeci tùm urbem tenebant, ca-
ptae sunt, vt ait Liuius. Multa in eos iniuriarum exempla
Campani ediderunt, qui odio Vatiniano eos insequaban-
tur. illud vero praecipuum existimo, quod tamen liberalis
animus abhorret, quòd γυναιξίν αὐτῶν συνώκυσαν αὐτοῖς, vt ait
Strabo; *Rem cum eorum vxoribus habuerunt.* Indignum faci-
nus; quod nec latronum, aut praedonum saeuities con-
uenit.

*Cāpanorum
iniuriae in
Cumanos.*

Lib. 5.

Anno deinde 539. antè CHRISTVM natum 213. Cu-
manorum constantia Campanos impulit ad eos sollicitan-
dos

dos, vt à Romanis deficerent. Arbitrabātur enim hoc sceleris genere maiorem calamitatem, quam aliorū bello consequuturos. Quod cū ij non sibi esse faciendum decreuissent, dolum compararunt (vt Liuiani verbis vtar) quem huiusmodi commenti sunt. Consueuere Campani statis anni temporibus ad Hamas siluam, quam Gallinariam dicunt, fruticosis virgultis frequentem & arboribus, indigentem aquis, in qua Sex. Pompeij Praefecti nauigia aedificarant, cū Sicilia à Romanorum Imperio descuiisset, sacrificia persolvere. Nunciarunt Cumanis in eum locum Senatum Campanum venturum, rogantes vt etiam Cumanus conueniret, & vnà decernerent vt eosdem vterque populus socios hostesque haberet. Armatos praeterea ibi futuros ne quid noui Romani molirentur. Ad Linternum interim T. Sempronius Gracchus Romanus Consul castra posuerat. Legationem Campanorum Romano Consuli Cumanis patefecerunt. Is Cumanis iussit vt intrā moenia se continerent, & quae in agris bona dispersa habebant, in oppidum comportarent. Copias ipse Cumas ducit. Campani ad Hamas confertim accedūt, in quam se abdiderat cum xiiii. millibus militum Marius Alfius qui summus Magistratus Campanis erat. Cū sacra nocturna fierent, silenti profectus agmine Gracchus ad Hamas nocte intempesta peruenit. Castra Campana à militibus relicta inuadit. Hos quidem somno stratos, hos verò inermes obtruncat. Ad duo millia hominum, & eò ampliùs, cum ipso duce Alfio caesa. Castris hostium potitus, Cumas continuò se recepit, Annibalem metuens qui ad Tifatā cum exercitu confederat. Nec eum prouida fefellit opinio, quandò Annibal celeriter ad Hamas castra mouerat, Consulem ibi Romanum operiri ratus. Profectus cū in eam siluam nequicquam esset, aliorum monitis & precibus impulsus, postridiè eius diei oppugnaturus oppidū, Cumas proficiscitur. In Agrum Cumanum Paeni exarsit ira, quo vastato, operibus & ob-

Legatio Campanorum.

Cumae recipiuntur.

Obsidio Campana.

Lib. 3. Dec. 3. fidione Gracchum oppugnabat, qui tamē hoc pacto victor euasit, quo Liuius narrat; *Aduersus ligneam ingentem turrim admotam urbi, aliam turrim ex ipso muro excitauit aliquantō altiore;* quia muro satis per se alto subiectis validis sublicis pro solo usus erat. Indē primū saxis sudibusq. & coeteris missilibus propugnatores urbem ac moenia tuebantur. Postremō ubi promouendo adiunctam viderunt turrim, facibus ardentibus plurimum simul ignem coniecerunt. Quo incendio trepida armatorum multitudo, cū de turri sese praecipitaret, eruptio ex oppido simul duabus portis facta, stationes hostium fudit, fugauitq. in castra; ut eo die obseſſo quā obsidenti similior esset Poenus. Cumae obsidione liberatae. Protendisse hanc victoriam scribit Iulius Obsequens, mare quod arsit, & bouem qui equuleum peperit ad Sinuessam.

Post ea tempora Cumanos cum Senatu Campano conuenisse aliqui arbitrantur, nam in eorū portu classem Campanam receperunt. Erat in foro Campanae urbis olim lapis, deindē sublatuſ, in quo haec legebantur,

L. MAGIO. L. F. CAMPANO

ALIGERO. XII. LEGIONIS. FRETENSIS.

Legio Fretensis.

quibus milites qui in freto versabantur maritima classe notari docti viri sibi persuaferunt. Nec illud in mentem venit, Fretensem Legionem inter xxv. Legiones esse numeratam, quae ab Augusto per Romani Imperij fines fuerāt constitutae; & milites Fretenses à Fortia Sarmatiae vrbe esse nominatos, qui Fretenses, Eufratenſes, & Fratenſes dicti sunt. Apud Marcellinum, Tricosimani, Decimaniq. Fortenſes.

Poeni.

Lib. 1.

Poenorum aliās furorem Cumanos fuisse expertos Polybius videtur innuere. Cum enim Siciliae loca Amilcar occupasset, quam Carthaginenses classi praefecerant, maritimam Italiae oram ad Cumarum regionem vastauit; *πρωτον μὲν γὰρ ἐν τεύθειν ὀφθαλμῶμενος κατὰ θάλατταν, τὴν παραλίαν τῆς Ἰταλίας ἰσχύρει μέχρι τῆς Κυμαίων χώρας;* Nam & mari saepe ab eo loco delatus

latus in maritimam Italiae oram Cumas usque populatus est.

Gotthi.

In hoc oppidum veluti munitissimum Totilam & Teiam Gotthorum Reges quicquid praetiosae supellectilis habebant, reposuisse scribit Agathias, ijsq. praefectum Aligernum cum Herodiano anno C. 552. alij quoque scriptores prodiderunt. Quapropter Narses quam maximis potuit itineribus Cumas contendit, ut Regijs thesauris occupatis, Italiam praecipua Gotthorum sede deuastata, miseria liberaret. Aligernus autem Teiae qui iam bello ceciderat minimus natus frater, quamuis labefactatam Gotthorum potentiam esse intelligeret, tanto tamen animi robore, tantoq. militari conatu cum reliquis Gotthis oppidum tutatus est, ut Romanus de victoria iam desperans, in Florentinos, Centumcellanos, & Volaterranos vires intenderit, paucis ad Cumas in obsidione relictis. In qua illud memorabile notatur, quod Aligernus Palladium qui apud Narsetem ob corporis vires plurimum poterat, dum audacter murum conscendisset, lorica indutum, cum ipso etiam scuto transuerberauit; tantum sibi virtutis Aligernus arcu comparauerat. Agathias inter coetera in ea obsidione haec describit; Narsetem suos adhortatum, exercitum oppido admouisse. Illos verò cum in editiorem collem maximo labore conscendisset, & ad propugnaculum accessissent, contorquendis iaculis in eos qui ad pinnae murorum consistebant omnibus viribus incubuisse, funditores petrarum tempestatem excitasse, & machinas omnes quae oppugnationi vltui esse solent, muros fuisse admotas. Aligerni verò milites è muris ad intermedia turriū spacia confertim nihilo segnius iacula & tela retorquentes propugnasse, saxorum moles in subeuntes proiecisse, securibus, contibusq. acriter vulnerasse, nihilq. omnino quod ad hostium violentiam propulsandam valeret, omisisse. Tūc Aligerni iactus maximè fuisset co-

Lib. i.

Narses Cumas contendit.

Romani Cumis repelluntur.

Aligernus Palladium occidit.

se cognitos, quandò sagittarum stridore & immani velocitate, coeteris eum viribus praestare omnes praedicabant. Difficilis idcirco obsidio reddita est. Turpe Romanis videbatur post tot labores oppidum in suam potestatem non redigisse. Turpe Gotthis deditionem facere. Ex antro igitur Sibyllae cui pars murorum nitebatur, in spem venit oppido potiturum. Exscisso antri conuexo, & erectis tignis in ordinem substitutis quae muri pondus sustinerent, ne resoluta compages corrueret, atq; milites opprimeret, foliorum aridorum strue adhibita, & immisso igne, ex antro excesserunt. Excitata flamma, sustentacula conflagrauit. Quae cum cessissent ponderi, murus quoq; deiectus est. At Gotthi corporibus mutuo murum struentes, sese tanto impetu obiecerunt hostibus, vt potiundi oppidi spe abiecta, ad Florentiam, vt diximus, castra mouerint. Francorum tamen in Italiam aduentu Aligernus commotus, Romanos obsidentes monuit, optare vt sibi ad Narsete aditus pateret. Quod cum Narses rescisset, libentissime annuit, proptereaquod illud vnum maximè optabat, vt in Romanorum potestatem oppidum redigeretur. In agrum Rauennatem tunc profectus est, & ad Classes (locus in eo agro est) Narsetem nactus, Cumarum clauis illi tradidit. Benignè & liberaliter ab eo acceptus est. Pars copiarum Cumas introducta. pars, ad vicos & castella secessit. Cum Neapolim Totilas obsidisset, cui erat praesidio Conon, partem exercitus Cumas misit in qua ciuitate mulieres ex nobilitate Romana cepit, liberaeq. parentibus & viris remisit. Nauclerus Gener. 19.

Longobardi.

Romoaldus II. & IX. Dux Beneuetanorum anno 715. vt sui Imperij fines propagaret, arcem Cumanam aggressus, arce & oppido potitus est. Mox à Ioanne Neapolitanorum Duce, & Theodimo Subdiacono & Correctore (vt appellat Anastasius Bibliothecarius) oppidum receptum & Longobardi

gobardi penè ccc. cum eorum Castaldeo occisi. Scribitq. Paulus Diaconus, Gregorium V. Pontificem Max. vt eam arcem recuperaret, auri libras exoluisse, quas hac de causa Neapolitanis pollicitus fuerat. Saeuientibus in Puteolos Nortmannis, in Cumanos quoque saeuitum esse, credendum est.

Neapolitani.

A Neapolitanis hoc pacto euersas Cumas scripsere. Cum anno 1207. Theuthonorum latrocinia atq; iniuriae totam ferè Campaniam vexarent, atq; ità vt nauigatio conquiesceret & agricultura defereretur, idq; plurimum Neapolitanis displiceret, inito inter eos consilio, tandem decretum est vt milites per pagos, vicosq; distribuerentur, qui ab eorum maleficio Neapolim & Campaniam defenderent.

Quamobrem opem quoq; ex toto Regno procures Neapolitanis tulerunt. Cùmque Goffridus è Montefusculo viribus animi & corporis pollens, nobilitate clarus, & affinitate Neapolitanis equitibus conuinctus, qui ad eam rem incumbebat Cumas noctu cum lecta militum manu aduenisset, ab Auerfano Episcopo in cuius potestate oppidum tunc erat, in arce hospitio liberaliter acceptus est. Auerfani calamitoso, ac suspicionis pleno tempore permoti, quòd nobilem virum & factiosum ab Episcopo noctu introductum sibi persuaferant, secreti alicuius consilij conscium, vt aliquid ipsis detrimenti afferret, Cumas armatos miserunt, ciues qui non tantum dicerent se valde mirari Goffridum Neapolitanum in arcem inconsultis ipsis fuisse receptum, sed etiam arcem huiusmodi tuerentur, vt nullo pacto potuisset à Goffrido occupari. At Goffridus nouitate rei perculsus, ab Episcopo per prodicionem se circumuentum esse existimans, Auerfanos ab ipso accersitos arbitrabatur. Quamobrem ne opprimeretur illicò ex arce in aliam se recepit domum in qua cum ijs qui cum eo venerant prouidè se conti-

*Goffridus è
Montefusculo.*

*Auerfanus
Episcopus.*

*Petrus è Le-
dera.*

nuit, misso celeriter nuncio qui auxilium peteret suis. Cum rumor percrebuisse Comes Petrus è Liçtera Goffridi affinis comparatis copijs in Iulianum pagum contendit, vbi alij milites praesidio erāt atque ijs simul iunctis Cumas aduolauit. Quorum aduentu laetatus Goffridus sacramento milites adegit vt capta turri homines & fortunas in eius manus deuenire paterentur. Tū illud quoque inter ipsos decretum, vt capta ciuitate eam funditus euerterent vt maleficij asylum auferretur, qua de re saepiùs cum ipsis Auerfanis sacramento adhibito actum est, nec vnquam negotium conficere potuerunt. Mox arcem aggressi in quam Auerfani & Episcopus se receperant, monitis prius vt inde decederent, & veluti inter se conuenerant deuastarēt, cū sibi illud non esse faciundum Auerfani dictitarent, tandem adhibitis ignibus alijsque machinis quae ea ferebant tempora, cū vix Episcopus ignes subterfugisset, arce potiti sunt, relictisque ibi militibus qui ciuitatem diruerent, Goffridus, Petrusque summa cum laetitia victores Neapolim rediere. Atque ita munitissimum oppidum, antiquitate praeclarum, & Gotthorum firmissimum praesidiū, quodque cum Campanis militari studio illustribus saepius contendit, miserrimè intetijt. Et veluti Gotthorum thesauros Romani, Narsete duce, inde extulerunt, sic etiam Neapolitani sanctarum reliquiarū thesauros veluti victoriae pompam Neapolim reportarunt. Quod infra dicemus.

*Ad Abbatem
S. Mariae de
Ferraria.*

Quod ad viros illos illustres attinet, Goffridum, Innocentius Pontifex nobilem virum appellat, & semper profecto familia è Montefusculo Neapoli nobilissimè vixit. Petrus vero è familia Liçtera, quae & Liçteria, & Loçteria à ciuitate quae non longè à Vesuuio dicta, is est Comes cui Federicus Imperator dū Neapolitano regno potiretur, ad aedem Carmelitanā Neapoli in qua familiae antiqua monumenta cernuntur, agrum dono dedit quem hac quoque aetate Comitum hortum dicūt. Letterensis ciuitatis domini
fuere.

fuere . Meminit Marinus Freccia dum de Letterensi Episcopo loquitur . Meminere etiam Collenuccius , Carrafa , Constantius in historijs .

Lib. de Subf.

Romani, Paludes.

Fuerant antea Cumae Romana potentia & amplitudine oppressae, idcirco in obscuros creuere vicos, maximè cum Campania Romanorum principum villis luxuriaret . Tum Cumae quasi vacuae, ad secessum tenuiorum, & plebeiorum ciuium patebant. Iuuenalis, Cumas vacuas dicit, & Baiarum ianuam, dum Vmbricij sui discessum ab vrbe dolet,

Cumas vacuae.

*Quamuis digressu veteris confusus amici ,
Laudo tamen, vacuis quòd sedem figere Curia
Destinet, atque unum ciuem donare Sibyllae,
Ianua Baiarum est , & gratum littus amoeni
Secessus ———*

Ergo Neruae temporibus quibus Iuuenalis viuebat , vacuas Cumas cognoscimus ; etsi deinceps ob loci munitiorem Gotthis frequentes iterum sint redditae . Infrequentes redditas esse arbitror , quòd palustribus littoribus contineretur,

*—— & loca foeta palustribus undis
Littora Cumarum ———*

Quod etiam Strabo affirmat lib. 5. Πλησίον δὲ τῆς Κύμης, τὸ Μισίων ἀκρωτήριον καὶ ἐν τῷ μεταξύ Ἀχερουσία λίμνη, τῆς θαλάσσης ἀνάχουσις τις τεναγώδης ; Cumis vicinum est Misenum promontorium, usq. interposita Acherusia palus, coenosa quaedam maris effusio, ut inde paludes ortae videantur. In Cumano numismate Rana





Pagurus Dianae sacer.

est, palustria loca significans, cùm tamen & Conchylia, & Paguros alia referât, cum Conchylio hordei granum pulcherrimè depictum cernitur in eo quod seruat Ioannes Baptista Macedonius totius antiquitatis arbiter, qui me in Neapolitana historia conscribenda plurimum iuuit. Goltzcius pro Conchylio depinxit. Terrae marisque vbertatem significarunt. Sunt qui non Conchylia, sed Purpuram arbitrentur. Pagurus tamen Dianae sacer est, quoniam inter venatores testaceos numeratur, aiuntque eum praecipuè vim Lunae sentire, qua crescente succulentior fiat, & melior. Aliqui Apollini sacrum faciunt, quoniam musica delectatur. Apud Mystras prudentiam Pagurus significabat, ideo Dianae Ephesiae collo fuit suspensum, & apud Brutios Dianae caput Paguro ornabatur. Prudentiam ea de causa illi tribuunt, quod cùm crustam exuit, veluti armis spoliatus latet, viribusque diffusus nullos aggreditur, donec novam recuperauerit. At Cumarum ruinas sic deplorat Sanzarius,

*Hic ubi Cumaeae surgebant inclita famaè
Moenia, Tyrrheni gloria prima maris,
Longinquis quò saepè hostes properabat ab oris
Visurus Tripodas Delie magne tuos;
Et vagus antiquos intrabat nauita portus
Quaerens Dedaleae conscia signa fugae,
(Credere quis quondam potuit dum fata manebant?)
Nunc silua agrestes occulit alta feras.
Atque ubi fatidicae latuere arcana Sibyllae,
Nunc claudit saturas vespere pastor oves.*

Quaeq.

Quaeq. prius sanctos cogeat Curia Patres,
 Serpentum facta est alituumq. domus.
 Plenaq. tot passim generosis atria ceris
 Ipsa sua tandem subruta mole iacet.
 Calcanturq. olim sacris onerata trophoeis
 Limina, distractos & tegit herba Deos.
 Tot decora, artificumq. manus, tot nota sepulcra,
 Totq. pios cineres una ruina premit.

CVM AE COLONIA, MVNICIPIVM,

Praefectura.

Cap. XXVIII.



POST victum ad Actium promontorium
 Antonium, & praeclaram pacem orbi ter-
 rarum partam, duodetriginta Colonias de-
 ductas ab Augusto scribit Suetonius; *Ur-*
banisq. rebus administratis, duodetriginta Co-
loniarum numero à se deductarum Italiam fre-
quentauit. Inter quas, CVM AE. Earum nomina duode-
 cim recēset Frontinus, Soram, Theanum, Sidicinum, Pu-
 teolos, Acerras, Aletrium, Atellam, Caudium, Beneuen-
 tum, Cumas, Ariminum. Cū de Cumis loquitur, ait; *Lib. 4.*
Cumae muro ducta Colonia, ab Augusto deducta. Iter populo de-
betur pedes LXXX. Ager eius in iugeribus veteranis pro merito est
assignatus iussu Claudij Caesaris. Quod declarat Dio, cū ait
 Caesarem Romam reuersum ad Rempub. constituendam,
 militibus, alijsq. pecuniam distribuisse, ijs vero qui sub se
 perpetuò stipendia fecerant, agros etiam assignasse, & po-
 pulis qui Antoniū sequuti fuerant deletis, oppida & agros
 eorum militibus condonasse. Miror tamen id Cumanis ac-
 cidisse, vt vrbe & agris pulsi fuerint, nulla fidei habita ra-
 tione, cum neque Annibali adhaeserint, & Romanos bel-
 lo Marfico fociorum fide iuuerint. Et tamen anno ab v. C.
 415. inter Municipia antè bellum Italicum siue Marficum
 (quod

*Duodetrigin-
 ta Colonide.*

Cumani &
Suessulani.

(quod Sociale item appellatum est) constituta, Campanis equitibus honoris causa quia cum Latinis rebellare noluis-
sent, ciuitas sine suffragio data est; Cumanosq. & Suessu-
lanos eiusdem iuris conditionisq. cuius Capuam esse pla-
cuit, vt ad Liuianam accedamus sententiam, cum Velle-
ius Campanis & Sānitibus sine suffragio ciuitatem datam
dicat Sp. Postumio, & T. Veturio Coss. Quo munere per-
functos lapis ibi ostendit,

PILVMO. SANCTISSIMO. GENIO. MVNICIPI
SACRVM. P. IVBENTIVS. ACHARIVS. II. VIR.

Lib.3. Dec.3. confirmat Liuius; *Itē vt municipes Cumani essent, pridie quā
populus Campanus à populo Romano defecisset. Maxime vt hoc
ferretur mouerat, quod quorum hominum essent scire se ipsi nega-
bant, vetere patria relicta, in eam in quam redierant non dū adsciti.*

Praefecturae
duo genera.

De Praefectura Festus ait duo eius genera fuisse, vnum in
quas Praefecti irent à populo Romano creati, Capuam,
Cumas, Casilinum, Vulturnum, Linternum, Puteolos,
Acerras, Suessalam, Atellam, Calatiam. alterum, in quas
proficiscerentur quos Praetor vrbanus mitteret, Fundos,
Formias, Cere, Venafrum, Allifas, Priuernum, Anagnium,
Frusinonem, Reate, Saturniam, Nursiam, Arpinum, aliaq.
oppida quamplura. Quae hac de causa Praefecturas incō-
modissimo iure senserūt, quod Annibalem armis defendis-
sent. Idcirco Cumanorum Praefecturam sum admiratus.





ANTRVM SIBYLLAE. Cap. XXIX.



AD Occidentalem oppidi plagam Agathias antrum Sibyllae describit instar barathri his verbis ; ἐνταῦθα δὴ πάλαι φασὶ τῷ Σίβυλλαν τῷ πάντῃ τὴν Ἰταλίαν ἐνδυναστεύοντι, φοιβοληπτόν τε εἶναι καὶ ἐνθουν, καὶ προαγορεύειν τὰ ἐσόμενα τοῖς πενθανομένοις. λέγετο δὲ καὶ Αἰνείαν ποτὲ τὸν Ἀγχίσου ἀντοῦ ἀφικόμενον ἅπαντα οἱ τῷ Σίβυλλαν φάναι τὰ ὕστερον ξυγεχθέντα ; *Hic aiunt habitasse olim Sibyllam numine afflatam diuino, & sciscitantibus futura praedixisse. Aiunt etiam Aeneae Anchisae filio, cum eò venisset, Sibyllam quae deinde acciderunt praedixisse.* Sed antrum omni ex parte tectum dicit, valdèq. cauum quod adyta quaedam natiua haberet, & finum ingentem ac profundum καὶ βαρυσπῶδες. Rupem appellat Virgilius,

*Insanam vatem aspicias, quae rupe sub ima
Fata canit*

Locum sic describit Iustinus martyr, ne ad Auernum eam habitasse arbitremur ; ἐνθεασάμεθα δὲ ἐν τῇ πόλει γινόμενοι καὶ τινὰ τόπον, ἐν τῇ βασιλικῇ μεγίστῃ ἐξ ἐνὸς ἐξεσμένῳ λίθου ἔγνωμεν, πρᾶγμα μέ-

Templum
Sibyllae.

Ἰδὼν καὶ πάντος θαύματος ἄξιον, ἔνθα τοὺς χρησμοὺς αὐτῷ ἀπαγγέλλειν οἱ ὡς τὰ πάντα παρεληφότες παρὰ τῶν αὐτῶν προγόνων ἔφασκον; *Vidimus sanè in ea urbe cum essemus locum quendam ubi Basilicam ingentem uno fabrefactâ saxo conspeximus, rem profectò maximam & admiratione dignissimam, ubi Oracula eam edidisse qui res patrias à maioribus suis quasi per manus traditas affirmabant. Ad-didit etiam in mediâ Basilica incolas sibi ostendisse tria So-lia ex eodem excisa lapide, quibus aqua repletis iacuisse ibi Sibyllam, & stola sumpta in penitissimam se Basilicae aedem abdere, atque in media aede super sublimiori gra-du & throno confidere solitam, & eo pacto sortes promul-gasse. Ibi quoque Apollinis Fatidici templum fuit, nam Virgilius ait,*

—— *arces quibus altus Apollo
Praesidet, horrendaeq. procul secreta Sibyllae
Antrum immane petit* ——

Et de Sibyllae loco, *Excisum Euboicae latus ingens rupis in-antrum. Daedalus autem Cumani templi conditor. Auso-nius in Mosella Idyll. 9.*

*Non hoc spernet opus Gortynius aliger aedis
Conditor Euboicae, casus quem fingere in auro
Conantem Icarios, patrij pepulere dolores.*

Apollo lugens.

In eo Apollinis tēplo quatrīduò simulacrum fleuisse nar-rat Augustinus lib. 3. de Ciuit. Dei cap. 11. hac historia. Attalus Asiae Rex testamēto populum Rom. haeredem fe-cerat Regni. Id Aristonicus Eumenis Attali fratris filius ex concubina genitus, praeoccupauit. Hinc bellum ei est in-dictum. Missus eò Licinius Crassus Coss. & Pontifex max. victus est ab Aristonico. M. Perpenna Consul insequentis anni, audita Crassi fortuna, magnis itineribus in Asiam venit, victumq. acie Aristonicum, fame domitum in dedi-tionem Stratonicae, quò post proelium confugerat cepit. Eo bello Apollinis simulacrum Cumis quatrīduò fleuisse nun-

nunciatum est; quo prodigio Aruspices territi, cum id simulacrum in mare putauissent esse proijciendum, Cumani senes intercesserunt, atque retulerunt tale prodigium, & Antiochi Syriae Regis quem L. Scipio vicit, & Persae Macedonum Regis bello, in eodem apparuisse figmento; & quia Romanis feliciter prouenisset, ex Senatusconsulto eidem Apollini, sua dona esse missa testati sunt. Peritiores acciti Aruspices responderunt, simulacri Apollinis fletum ideò prosperum esse Romanis, quoniam Cumae Colonia Graeca esset, suisq. terris vnde accitus esset, idest, ipsi Graeciae luctum & cladem Apollinem significasse plorantem.

Apud Liuiū anno ab v. C. 584. Q. Marcio Philippo II. Lib. 43.
& Cn. Seruilio Cepione Coss. Cumis Apollinis statua per tres dies luxit. Apollo Cumaeus hic dictus est. Apollinem autem Comaeum cuius meminit Ammianus, ex vrbe Seleucia opus ambitiosum fuisse scribit Nicanoris Seleuci, Lib. 23.
Romamq. perlatum, & in aede Apollinis Palatini à sacerdotibus positum.

SIBYLLARVM NOMINA, NUMERVS,

patriae, vaticinia.

Cap. XXX.



QUIBVS DAM vna tantum Sibylla, à quibusdam duae, ab alijs tres aut quatuor, aut decem, aut plures commemorantur. Quidam tot Sibyllas quot Cupidines Herculesue, aut Ioues (vt fabulosa Graeciae moris est) describere sunt conati. Qui de vna loquuti sunt, aut Apollinis & Lamiae, aut Aristocratis & Hydoles, aut Crinagorae, aut Theodori filiam faciunt. Sed varia de patria protulerunt. Erythraeam, Sardinicam, Rhodiam, Lybicam, Leucanam, *Sibyllae cuius filiae fuerunt.*
Samiam, Gergithicam denique dixere. Dùm Erythraeam

X nomino,

Lib. 1. hist.

Sphynx, & Sibylla.

Sibyllae statuas.

nomino, non eam intelligo, quã etiam Phaellonis (Σιβυλλῆς ἢ φαελλοῦς τῆς Ερυθραίας ἢ τῆς Ἡπειρώτιδος) commemorat Zosimus, quam non aliarum numero adscribere videtur, sed quòd afflata numine quaedam oracula ediderit, quibus fretus Nicomedes Prusiae filius, hortatu Attali, Prusiae patri bellum intulit. De Gergithica, ait Stephanus in dictione Γέργης, fatidicam fuisse, & cum Sphinge in Gergithicorum moneta expressam ex Phlegonis auctoritate in prima Olympiade, & in Gergithij Apollinis templo fuisse sepultam. Qui de duabus loquuti sunt, Erophylem Troianam nominant, eandemq. esse cum Phrygia & Cumaea contendunt; & Symmachiam, quae quamuis Erythre orta fuerit, Cumis tamen vaticinatam esse scribunt. Ex Plinio tres Sybillas colligimus quarum vnus in foro Romano Pacuius Taurus Aedilis plebis, aliarum duarum statuas M. Valerius Messala Augur consecrauit. Ex his verò vna Cumana habita est, quae Cumis Olympiade. L. floruit; & quae libros Tarquinio obtulit; altera Delphica, quae antè Troiana tempora vixit; tertia Erythrea, Herpilis appellata, quae post Troiam euersam vixit. Quod ad tres pertinet, Aristophanis Scholiastes in Anibus ait, tres fuisse Sibyllas, quarum prima se Apollinis sororem suis versibus dixit; secunda Erythraea; tertia Sardiana nominatur. Aelianus quatuor nominat, Erythraeam, Samiam, Aegyptiam, & Sardianam. Sunt qui Iudaeam, & Cumaeam adiungant. Varro tamen qui citatur à Lactantio eas decem celebrat, Delphicam, Erythraeam, Cimmeriam, Samiam, Cumanam, Hellesponticam, Libycam, Persicam, Phrygiam, Tiburtinam.

Ex his omnibus, nostram de qua loquimur Cimmeriam rectius appellari quàm Cumaeam scribit Onuphrius Panuinius, de qua asserit scripsisse Naevium in libris quos de primo bello Punico scriptos reliquit, & L. Pisonem Censorium in Annalibus. Aristoteles verò hæc scribit libro

περὶ θαυμασι. ἀκουσι. ἐν τῇ Κύμῃ τῇ περὶ τῶν Ἰταλίων δ' ἐκνυταίτις ὡς ἔοικε⁶
 δάλαμος κατ' ἀγέης Σιβύλλης τῆς χρησμολόγου, καὶ πολυχρονιατῆς γινομένης
 παρθένου διαμεινᾷ φασιν, οὗσαν μὲν Ἐρυθραίαν, ὑπότινων δ' τῶν Ἰταλίων κατοι-
 κούντων Κυμαίαν ὑπὸ δέτινων μελάγχραναι καλουμένην. Hanc eandem
 in agro Troiano natam censet Martianus Capella, & Var-
 ro in Cimmerico Campaniae oppido. Quae Cumana dici-
 tur, nomine fuit Amalthea, vel Herophile, vel Demophi-
 le, quae nouem, vel vt alijs placet, tres libros Oraculorum
 ad Tarquinium detulit, cuius sepulcrū in Sicilia sua aeta-
 te fuisse reliquum, scribit Solinus. Quamobrem vna Cu-
 maea dicitur, quod Cumis vaticinata fuit, quamuis alibi
 fortasse orta, ad quam diuertit Aeneas & Δημῶ appellatam
 scribit Pausanias in Phocicis ab Hyperoco scriptore Cuma-
 no lib. 10. quem & Cumanos ostendere Vrnulam in Apol-
 linis Vrna lapideam in qua dictitabant esse ossa Sibyllae,
 idē Pausanias testatur; altera, Cumana quae Cumis oriun-
 da, longo tempore post vixit, de qua Solinus plura scri-
 bit. Sunt qui sibi persuaferūt Cumis plures mulieres fuisse
 vaticinatas, & omnes Sibyllae nomine fuisse insignitas.

Polybist. c. 11.

Earum Vaticinia.

Quid Sibylla profiteretur, indicat Virgilius,

Lib 3.

— — — quae rupe sub ima
 Fata canit, folijsq. notas & nomina mandat.
 Quaecunque in folijs descripsit carmina Virgo
 Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit.
 Illa manent immota locis, neque ab ordine cedunt.
 Verum eadem, verso tenuis cum cardine ventus
 Impulit, & tenues turbauit ianua frondes,
 Nunquam deindē cauo volitantia prendere saxo,
 Nec reuocare situs, aut iungere carmina cura.
 Inconsulti abeunt, sedemq. odere Sibyllae.

Idq. pertinebat ad scriptum. Voce etiam oracula pro-
 nunciabat.

*Horrendas canit ambages, antroq. remugit
Obscuris vera inuoluens* ———

*Scripto, voce,
& signis prae-
dicebant.*

Et Signis, qualia in Obelisco Romae videri scribit Seruius. Et si nec illud displiceret, si notas litterarum intelligamus, vt vno caractere multa significarent. Sed voce & scripto tantum praedixisse contra Seruij opinionem contendit Nascimbenius. Scripta, in folijs Palmarum exercebantur. sic asserit Varro. Et Donatus in illud Virgilianum,

—— *sedemq. odere Sibyllae,*

Morem dixit Sibyllae, & in quo loco sit, & quo ordine singulorum desiderijs respondeat. Sumit folia. Illic responsa conscribit, ordinat, & dimittit. Veniunt homines, considerant folia, & futura cognoscunt. Sed hoc habet mos ipse contrarium. Quippe si ventus impleat fores, & ordinationem foliorum turbauerit, pereunt consulta, & dubij remeant qui instructi fuerant redituri. Ea de causa Sibyllae folia in prouerbium abiire, quando rem indubitata significarent. Aristophanes in Pace,

οὐ μετέχω τοῦτων, οὐ γὰρ ταύτ' εἶπε Σίβυλλα.

Haud equidem agnosco, neque enim canit ista Sibylla.

& Iuuenalis, *Credite me vobis folium recitare Sibyllae*

*Sibylla, Iouis
sententia.*

Quae omnia secretiora diuinitatis arcana ostendere, nomen Sibyllae significat, quod *σιῶν βουλή*, Iouis sententiam notat. Et, vt τὸ σιῶν, iurabant Lacedemonij, Castorem & Pollicem intelligentes, & Apollinē, de quo sic loquitur Ammianus; *Sol mens mundi, nostras mentes ex sese veluti scintillas diffundens, cum eas vehementius incenderit, futuri conscias reddit, vnde Sibyllae crebro praedicunt ardore torrente, & vi magna flammaram multa significant. Vnde quasi Sibyllae dictae.* Et Hieronymus contra Iovinianum ait Aeolico sermonis genere Sibyllas *θεοβουλαί* appellari. Et Suidas, Romana voce *Prophetissam*, hoc est *vatem*, interpretari posse scribit. Quocirca aliqui ex Platonicis arbitrati sunt, humanū animum remota corporis memoria posse aliquando ad immortalem transire naturam, & quodam sopore detentum futura diuinare. Hinc Sibylla & Bacchides. Hinc *μανία*, & *μαντικὴ*. Hinc etiam

*Multi pos-
sunt diuinare.*

etiam Sibyllas esse dixerunt Manthonem Tyresiae Thebani filiam, Cassandram, Elyssam, Faunam, vel Fatuam, Sabam Berofi filiam, & Carmentam, quam Θεσπιφδοῦ Graeci dixerunt, vt scribit Halicarnasseus, nam ἑδὰς Romani *Lib. i, antiq.* carmina vocant. Themis quoque appellarunt. Et sic fatidicam puellam Chorus in Helena commemorat apud Euripidem,

ἤκουσα τᾷς Θεσπιφδοῦ κόρας

Audini ex fatidica puella.

Fatidicaeq. ex tripode cecinisse scribit in Ione

Θάσση δὲ γυνὴ τρίποδα ζάθεον

Δελφίς, αἰείδους Ἑλλήσι βοάς

Ἄς ἂν Ἀπόλλων κελαδίησιν.

Mulier verò sedet suprà sacrum tripodem.

Delphica canens Graecis oracula.

Quae Apollo illi dicat

Quin etiam omnes Delphicas mulieres fatidicas fuisse in- *Mulieres Delphicae.*
nuit ibidem,

——— τρίποδες ἀρχαῖον νόμον

Σώζουσα, πασῶν Δελφίδων ἐξαίρετος

——— *seruationem tripodis*

Seruans electa ex omnibus Delphicis mulieribus.

Inter has numerantur Brutides mulieres à Suida, & Thara Iudicum Hebraeorū aetate. Georgius Cedrenus & Glycas in Annalibus, Reginam Sabam à Graecis Sibyllam appellatam scribit, & Samonaeam cū viueret Iofias. Sphragitides Nymphas Plutarchus celebrat in Aristide, quae in Citheronis vertice oracula reddebant, & multos ibi furore correptos, Νυμφαιπτους esse dictos. Eustathius Homeri Scholiafles Arrianum scripsisse testatur, Dardanum cū ex Samothracia venisset, Teucris Regis filias sibi desponsasse, Neson, & Batram dictas, & Neson filiam esse natam Sibyllam Vatem, à qua quotquot mulieres fatidicae fuerunt, Sibyllae dicebantur. Hermias 2. lib. Scholiorum in Platonis *Alia Sibyllae.*
Nymphae Sibyllae.

*Demò &
Saba.*

Viri fatidici.

Lib. 55.

*Germani fa-
tidici.*

*Lib. 1. de bell.
Gall.*

*De morib. Ger-
man.*

tonis Phaedrum, de Sibylla adeò miranda narrari scribit, ut fabulae videri queant. Multas certè Sibyllas fuisse, omnes diuinandi artem amplexas, & ob aliquam fortè causam commune nomen Sibyllae assumpsisse. Pausanias in Phocicis post Demò in fatidicarum numerum Sabam scripsisse Hebraeos ait qui supra Palaestinam sunt, quā patre Berofo, matre Erymante genitam tradunt. Hāc alios Babyloniam, alios Aegyptiā vocasse. Phaennem praeterea apud Chao-nes, & Peleam apud Dodonaeos diuinasse, sed non fuisse Sibyllas vocatas, at Columbas. Peleadas quoque propheticos versus decantasse. Recenset quoque viros fatidicos Euclum Cyprium, Musaeum Atheniensem, Lycum Pandionis filium, & Bacim ex Baeotia, quem Nympharum instinctu diuinasse aserebant. idemq. Pausanias eorum vaticinia praeterquam Lyci se legisse affirmat. Pseudosibyllae inter has numerari possunt, cum apud Dionem, misso Germanico ad bellum Dalmaticum ab Augusto, quaedam mulier litteris aliquibus in brachium incisis, quasi diuino afflatu mota, vaticinia promulgauit. Quam cum ipse optimè nosset, non numine correptam, sed composito ea dicere, fidem tamen eius dictis se habere simulauit, ne magis ad iram populum concitaret. Huc accedit Germanorum consuetudo, ut matres familias eorum sortibus, & vaticinationibus declararent, vtrum praelium committi ex usu esset nec ne; eas ita dicere, *Non esse fas Germanos superare, si ante nouam Lunam proelio contendissent*; ut scribit Caesar. Idemq. ituri in proelica canebant (ut scribit Cornelius Tacitus) & eorum carminum relatu quem Barditum vocabant, accendi animos credebant, & futurae pugnae fortunam augurari.

Accedit etiam mos Poenorum, qui suas Sibyllas habent, quas furore percitas bacchantesq. multa loquentes, capillis sparsis, ad terram decedentes obseruant ad varios rerum euentus. Caput miris illae modis agitant. Quod Statius in Thiodamante lib. 10. Thebaid. obseruat,

— acies

————— *actes huc errat & illuc*
Sertaq. mixta comis sparsa ceruice flagellat.

Et Tibullus lib. 2. Eleg. 6.

Iactauit fusas & caput antè comas.

Et Seneca Oedipo,

Incipit lethaea vates spargere horrentes comas

Et pati commota Phoebum ———

Et Virgilius lib. 6.

————— *non vultus, non color vnus,*

Non comptae mansere comae ———

Mentem deindè recipiunt, & ἐνθουσιασμός ille quiescit.

Quod ad Palmarum folia attinet, ad Apollinis radios ea *Palmarum*
 plerique referunt, vt quae ardore torrente praedicat, in ijs *folia.*
 quoque praedicat quae cum Solis igne conueniunt. In nu-
 merum digerere, Pythagoricum sapit, vt numeris quoque
 rerum inuolucra notentur. Coeterum tùm ventus folia dif-
 sipauit, atq; ordinem turbauit, cùm Spiritus Paracleti ad-
 uentu & flamine, Sibyllarum oracula euauerunt.

Inter veras & pseudosibyllas Herophyle illa est quae Ora-
 cula canere Delphi consuevit, & cognomine Sibyllae di-
 cebatur; licet aliam antiquiorem primum omnium mulie-
 rum vaticinatam Lamiam Neptuno genitam scribat Pausa-
 nias, & ab Afris Sibyllam nominatam, & Delios reminis-
 ci Herophylis hymnorum, quibus se Dianam vocat, &
 Apollinis sororem, vxorem, & filiam. Alibi immortalī ma-
 tre, eaq. vna ex Idaeis Nymphis, & patre homine Theo-
 doro pastore, se natam praedicat,

Εἰμὶ δ' ἐγὼ γαργαρά θνητοῦτε θεᾶς τε

Νύμφης δ' ἀθανάτης, πατρὸς δ' αὖ κητοφάγοιο

Μητρόθεν Ἰδρυγνῆς, πατρὸς δέ μοι ἐς ἰν ἐρυθρῇ

Μάρπητορος, μητρὸς ἱερῇ, ποταμὸς δ' Αἰδωνεύς;

Partim ego Ceti uoro mortali patre creata,

Partim immortali Nympha; me fontibus Ida

Eduxit vitreis, tenuis, glebaq. rubente;

Marpeffus matri patria est, fluiuiusq. Aidoneus.

Hanc

Sibyllae sepulcrum.

Hanc Alexandrini Apollinis Sminthei fuisse aedituam dicebant, & Hecubae somnium interpretatam. Sami diutius commorata est, & Clari, quae Colophoniorum urbs est. Eius sepulcrum in Sminthei luco cum hoc epigrammate; Latinum referam,

Illa ego sum Phoebi interpretes non vana Sibylla,

Hic quae marmoreo contineor tumulo.

Vocalis quondam, aeternum nunc muta puella.

Heu nimis hac fati compede pressa graui.

Mercurio tamen & Nymphis sociata quiesco,

Phebo quod fuerim grata ferens precium.

Quo ordine praedixerint.

Sibyllae non intelligebant quae diceret.

Nihil tamen Sibyllae ex Oraculis intelligebant. Plato, ὅταν κατορθῶσι λέγοντες πολλά καὶ μεγάλα πράγματα, μηδὲν εἰδότες ὧν λέγουσι; *Cum multas magnasq. res rectè & verè dicant, nihil eorum quae loquuntur intelligētes.* Quo circa Iustinus martyr in Admonitorio ad Graecos scribit, rectam religionem ex parte aliqua, & ea quae proximè ad Prophetarum accedant doctrinam à veteri Sibylla ex afflatu quodam mirifico per sortes ac responsa eos docente, posse percipere. Illud quoque verum esse, non fuisse in Sibyllis sicuti poetis etiā postquam poemata scripsere, facultatem corrigendi atque expoliendi responsa iuxta numerorum & dimensionum in carminibus rationem; sed in ipso afflatus tempore sortes illas suas explicuisse, & euanescente instinctu ipso, simul quoque dictorum memoria euanuisse; ἀλλ' ἐν μὲν τῇ τῆς ἐπιπνοίας καρπῷ τὰ τῆς πρυιτείας ἐπλήρου. παυσαμένης δὲ ἀπιπνοίας, ἐπέπαυτο καὶ ἡ τῶν εἰρημέλων μνήμη. Id quidem diu me dubitantem retinuit. Non enim persuadere mihi poteram ita compositè, ornatè, potuisse sua oracula Sibyllas edere, atque huiusmodi distincta Acrostichis, historiarum serie, multisq. alijs quae diu cogitando vix possent rectè accommodari. Cùm sese mihi obtulit Cicero meā opinionem confirmans; *Non esse autem illud carmen furentis, cū poema declarat, est enim magis artis*

Lib. 2. de Diuin.

& diligentiae quàm concitationis motus; tùm verò ea quae *Απορι-
χis* dicitur, cum deinceps ex primis versus litteris aliquid connecti-
tur, ut in quibusdam Ennianis quae Ennius fecit; id certè magis
est attenti animi quàm furentis; atque in Sibyllinis ex primo ver-
su vniuscuiusque sententiae primis litteris illius sententiae carmen
omne praetexitur. hoc scriptoris est, non furentis; adhibentis di-
ligentiam, non insani. Quamobrem, aut non omnes octo li-
bros illos qui circumferuntur à Sibyllis conscriptos asse-
re libuit, aut aliquem eos cōposuisse, additis aliquibus car-
minibus quae ex Sibyllinis supererant. At verò ex Prophe-
tarum dictis aliqua similia eliciens, qui litterarum notis,
ijsdemq. Acrostichis multa pronunciabant, ut in vocibus
ιαυò, φιλό, velò; Donec veniat qui mittendus est, ubi Messiae no-
men interpretatur Cabalistae, qui sexcenta huiusmodi my- *Cabalistae.*
steria in sacris patefaciūt, à mea & Ciceronis, qui illa igno-
rabat, opinione discedens, illud affirmare non vereor, ità
compositè atque ornatè Sibyllas sua carmina esse vaticina-
tas. Quod si quis negare ausus fuerit, negabit quoque,
I E S V Saluatoris nomen à Sibyllis editum non fuisse, ne-
que ab ijsdem quae ad eius vitam, mortem, & resurrectionem
pertinent explicata, quibus tamen Iustinus Martyr,
Lactantius Firmianus, D. Augustinus qui ea apud Flavia-
num Proconsulem è Graeca in Latinam linguam translata
legisse testatur, ad religionis propagationem, ad Catho-
licae fidei veritatem, offeruarunt.

Nec tamen negauerim aliquando non ità numerosa legi
oracula; quamvis Virgilius dixerit in numerum à Sibyllis
carmina fuisse digesta. Idq. aut quoniam (ut ait Iustinus
Martyr) evanescebat aliquando Vati dictorum memoria;
aut quoniam qui oracula scripto mandabant, propter im-
peritiam, in observatione numerorū errabant, & hoc scri-
bit se audiuisse cum esset Cumis, ab ijs quos eorum loco-
rum indices habebat. Idcirco hortatur Graecos, ut relictā
carminum exquisita ratione, ad dicta Sibyllarum animad-
uertentes, non numeros sed religionem sciantur. Suidas

numerorum imperfectionem notarijs tribuit; ὅτι δὲ οἱ εἶχον ἀπὸ τῆς ἀτελεῖς καὶ ἀμετρου εὐρίσκονται, οὐ τῆς προφῆτιδος εἶναι ἡ αἰτία, ἀλλὰ τῶν παχυγράτων.

Vaticinum.

At quo pacto oracula promulgarint, Clemens Alexandrinus ab Heraclito scriptum tradit nō ex humanitate, sed ex diuinitate res futuras ostendisse. Et Agathias, spiritu diuino instinctas. Neque verò Erythraea de Beata Virgine tam illustria canere potuisset, si hominem tantum censuerimus. Quae autem idem Clemens scribit Graecos distitasse Sibyllam in Helicone à Musis educatam, & cum obijisset, è corpore in terrā coniecto herbam prodijisse quam pecudes depascētes mortalibus in visceribus certam rerum praemōstrasse significationem, Graecorum sanè inuentum explodit. Iamblicus in Porphyrium scribit, Sibyllam Delphis duplici ratione suscipere solitā. Aut enim per tenuem spiritū & ignem qui alicubi ex ore quodam antri prorumpbat; aut ipsam etiam in adyto sedentem super aeneam sellam quae tripes, vel quadrupes esset, numiniq. dicata, diuino illo spiritu actam vaticinia fudisse. Cicero quidem;

Lib. 1. de diuin.

Cum duobus modis animi sine ratione & scientia motu ipsi suo soluto & libero iacitarentur, uno furente. altero somniantem; furoris diuinationem Sibyllinis maximè versibus contineri arbitrati, eorum decem Interpretes delectos ex ciuitate esse voluerunt. Atq; ita per furorem vaticinatos asserit Bacchidem, Boeotium, Epimenidem, & Sibyllam Erythraeam. Ouidius,

— tandemq. Deo furibunda recepto

Magna petis, dixit ———

& Virg. Deusecce Deus ———

Lib. 7. c. 33.

& Plinius, Diuinitas & quaedam coelitum societas nobilissima ex feminis in Sibylla fuit; ex viris in Melampode apud Graecos, apud Romanos in Marcio. Ambrosius contrā; Spiritus mundi hic est, per quem arripiuntur fanatici, qui sine Deo sunt. Est enim inter mundanos spiritus potior; unde solet coniecturis quae mundi sunt diuinare, quem Pythonem appellant. Hic est qui per

Epist. 1. ad Cbor. cap. 2.

veri-

verisimilia fallitur & fallit. Hic est qui per Sibyllam loquutus est, sensum nostrorum sequutus, locum uolens inter coelestes habere.

Furorem in Sibyllis multa attulisse beneficia scribit Plato in Phaedro; *νῦν δὲ τὰ μέγιστα τῶν ἀγαθῶν ἡμῖν γίγνεται διὰ μανίας θεῖα μὲν τοῖς δόξαι δὲ δομέναις*; Nunc verò maxima bona nobis contingunt per furorem diuino quodam munere concessum. Addit quoque, Vatem quae Delphis erat, & Sacerdotes quae in Dodona, furore correptas multis beneficijs publicè & priuatum Graeciam affecisse; quandò & mentis compotes nulla beneficia tribuerunt. ibidemq. *περὶ τῆς Μανικῆς* multa differit quae ad Sibyllarum furorem faciunt. Vates appellandos Sibyllam, Bacim, & Amphiltum idem asserit in Theage. Aristoteles, ait multos proptereaquòd calor sedi mentis in vicino est, morbis vesaniae implicari, aut instinctu Lymphatico inferuescere, ex quo Sibyllae efficiuntur, & Bacchae, & omnes qui diuino spiraculo instigari creduntur, cum scilicet id non morbo, sed naturali intemperie accidit.

*Probl. sect.
30. cap. 1.*

Interpretes.

Quaenam in Sibyllinis carminibus obseruarentur, praeter ea quae ab historicis scribuntur, Duumuiris primum, deindè Decemuiris, postremò Quindecim viris librorum custodiam esse traditam, nihilq. Romanos (vt ait Firmianus) sanctiùs custodisse, Flavius Vopiscus in Aureliano patefacit his verbis; *Consulenda Sibyllae decreta, utendum Apollinis beneficijs. Et paulò post; Agite igitur Pötifices, quà puri, quà mundi, quà sancti, quà destitu animisq. sacris commodi, templum ascendite, subsellia laureata constituite, veteranis manibus libros eucluite, fata Reip. quae sunt aeterna perquirite, patrimis matrimisq. pueris carmen indicite. Nos sumptum sacris, nos apparatus sacrificijs, nos aris Ambarualia indicemus* Deindè epistolam Aureliani subnectit; *Miror vos patres sancti tandiù de aperiendis Sibyllinis dubitasse libris, perindè quasi in Christianorum Ecclesia non in templo Deorum omnium tractaretis. Agite igitur & castimenta Pontificum, ceremonijsq. sollemnibus iuuate. Principem necessitate publica laborantem. Inspectantur libri, quae*

*Sibyllinorum
religio.*

facienda fuerint celebrentur, quemlibet sumptum, cuiuslibet gentis captiuos, quaeque animalia Regia non abnuo, sed libens offero. Neque enim indecorum est Dijs iuuantibus vincere; sic apud maiores nostros finita sunt bella, sic coepta. Tarquinius libris Sibyllinis coemptis, ex illustrioribus patricijs duos viros creauit quibus eorum custodiam demandauit. Et I. I. viri sacris faciundis appellati sunt. Ex quibus M. Atilium quod Petronio Sabino describendos dedisset, culeo insutum, in mare proijci iussit. Sacrificia quae Sibyllinorum oraculorum causa peragebantur, Ioui, Iunoni, Apollini, Latonae, Dianae, Parcis, Lucinis, Cereri, Diti patri, & Proserpinae vouebantur. Zosimus lib. 2. Hist. explicat; & adiungit; τῇ δὲ πρώτῃ τῶν θεωριῶν νυκτὶ δευτέρας ὥρας ὁ αυτοκράτωρ ἐπὶ τὴν ὁχλὸν τοῦ ποταμοῦ τριῶν παρασκευαζόντων βασιλῶν τρεῖς ἄρνας θύει μετὰ τῶν δεκαπέντε ἀνδρῶν; *Prima nocte spectaculorum, ad horam secundam, tribus aris in ripa fluminis constitutis, Imperator cum xv. viris tres agnos caedit.* Chaldaeos sacrificulos & Sibyllinorum oraculorum interpretes coniungit Plutarchus in Mario. Dio Caesarem scribit libros Sibyllinos qui iam vetustate exolefcebant, Pontificibus describendos dedisse, ut sua manu describerent, ne quis alius eos legeret; & omnibus qui quadringenta sextertia possiderent, ac magistratus gerere per leges possent, eorum petendorum potestatem dedisse. In Tiberij imperio, cum statua Iani cecidisset, timorem omnibus auxit, tum praecipue quod quaedam oracula pro Sibyllinis canebantur, quae ad sua potius tempora accommodari posse scribit Dionis epithomator, haec scilicet,

Τρεῖς δὲ τριηκοσίων πεντητηλομένων ἐνιαυτῶν

Ρωμαίους ἔμφυλος ἐλεῖ στάσις, αὐτοκρατορίας

ἀφροσύνα

At ter tercentum reuolutis protinus annis

Roma intestina perdetur seditione

Et furor exitium Sybariticus afferet urbi.

Haec Tiberius ut falsa calumniari coepit, librosque omnes scriptos de vaticinijs inspicere ex quibus eos qui inutilis

les esse videbantur damnari atque reijci , coeteros reponi & retineri iussit.

QVAE MEMORATV CVMIS DIGNA.

Cap. XXXI.

Naufragium.



CERTVM ad diem in Campaniam redire Classẽ Nero iusserat (ait Tacitus) non exceptis maris casibus. Ergo Gubernatores quamvis faeuiente pelago à Formijs mouere, & graui Africo, dũ promontorium Miseni superare contendunt, Cumarum littoribus impacti, triremium plerasque, & minora nauigia partim amiserunt.

Bellum nauale.

Cũ discordiae inter Pompeium, Caesaremq. intercederent, atque Antonius Brundisium ex Graecia se contulisset vt Caesarem adiret qui in Etruria erat, & lupi prodigio perterritus reuersus esset in Graeciam; cũq. Pompeius dictitaret Antonium Caesaris causam non probare, atq; indẽ maiora orta essent dissidia, tandem in Italiam adnauigauit, atque in continentem ingressus hostibus multa damna intulit, multaq. ab ipsis accepit. Tũc à Menecrate Pompeiano, & Caluissio Sabino Caesariano, classium Praefectis, naualis pugna ad Cumas commissa est, in qua Menecrates à Mena occisus est, sed Caesar multarum nauium iacturam fecit. Pompeiani & morte Menecratis perculsi, & veriti ne Caesar in Siciliam transfretaret, Cumis disces-

Dio lib. 48.

Ludi.

Ludi.

Decimo Idyllio Ausonius ludorum meminit qui in Cumanis fiebant littore. Naumachia.

*Haec quoque quàm dulces celebrant spectacula pompas
Remipedes medio certant cum flumine lembi,
Et varios ineunt flexus, viridesq. per oras
Stringunt attunsis pubentia germina pratis.
Puppibus & proris alacres gestire magistros,
Impubemq. manum super amica terga vagantem.
Dum spectat, transire diem, sua seria ludo
Posthabet, excludi veteres noua gratia curas.
Tales Cumano despectat in aequore ludos
Liber Sulphurei cum per iuga consita Gauri
Perq. vaporiferi graditur vineta Vesui,
Cum Venus Aëtiacis Augusti laeta triumphis
Ludere lasciuos fera proelia iussit Amores.
Qualis Niliacae classes Latiaeque triremes
Subter Apollineae gesserunt Leucados arces,
Aut Pompeiani Mylasena pericula belli
Euboicae referunt per Auerna sonantia Cymbae
Innocuos ratiū pulsus, pugnasq. iocantes
Naumachiae*

Vasa Cumana.

Lib. 1.

Horatij locum in Odis,
*Graeca quod ipse testa
Conditum leui*

Lib. 4. ep. 114

interpetrantur, Vas Cumanum, quod Cumani qui Pithecusas incoluerunt figlinam exercebant. Quamobrem Varro apud Nonnium, Calices Cumanos recenset; *Dolia atq. apothecas triclinares, Melicas, Calenas, Obbas, & Cumanos calices.* Confirmat Martialis,

*Hanc tibi Cumano rubicundo puluere testam
Municipem misit casta Sibylla suam.*

Lib. 2. eleg. 6. & Tibullus,

*Samiae conuiuia testae**Fictaq.*

Piētaq. Cumana lubrica terra rota.

Esset ne putidum Cumanos cum Milesijs, Scythis, Abydenis, Ephesijs, Aetolis, Curetibus, Campanis luxuria & popinis nobilitatis connumerare?

Pisces. Cima. Linum.

Glaucum piscem Cumanum, & Surrentinum laudat Ennius in Phagetis,

Surrenti fac emas Glaucum, & Cumas apud.

Cimas verò laudat Columella lib. 10. de cultu Hortorū,

Frigoribus caules, & veri cimata amittit

Quae pariunt veteres cesposo litore Cumae

Puteolanae nunc laudantur. Inter Lini genera ad Hispanicum Tarraconēse mira tenuitate accedere ait Cumanum Sabellicus lib. 1. En. 1. sed praecipuè ad casses & plagas.

Dentes Apri Erymanthij.

Cumanos in Opicis dentes monstrasse in Apollinis templo suspensos quos Apri Erymanthij esse dicerent, scribit Pausanias in Arcadicis. Quod tamen fabulosum existimare videtur, quippe nihil omnino satis probabile ad fidem faciendam afferebant.

Petronius

Cumis obiit Petronius Neronis familiaris. Tacitus; Tigellini inuidia qui crudelitatem Principis in eum concitavit amicitiam Sceuii ei obiectans, nouo mortis genere; Neque tamen (inquit) praeceps vitam expulit, sed incisas venas ut libitum obligatas aperire rursus, & alloqui amicos non per seria, aut quibus constantiae gloriam peteret. Nummus Cumis repertus est cum Petronij Triumviri nomine. Refert quoque Fulvius Ursinus in Petronia familia, aitq. ad Cumanam Coloniam ab Augusto deductam, & ad Neapolim ab eodem instauratam referri.

Lib. 16. Hist.

Nummus Petronij.



**Hyperocus, Melanopus, Heraclides, Straton-
nicus, scriptores Cumani, Celbidas.**

Pausanias in Phocicis de Cumana Sibylla loquens, quae Cumis in Opicis erat, ait eam esse appellatam *Δημώ*, ab Hyperoco Cumano. Post Olenem Lycium quem hymnum in Achaeiam fecisse scribit idem Pausanias in Eliacis, asserit Menalopum Cumanum canticum in Opin & Hecaërgem decantasse, quas ab Hyperboreis venisse testabatur. Heraclidem Cumanum lib. 4. commemorat Athenaeus, quem Persica conscripsisse dicit, & librum praecipuè *Παρασκευασικῶν*. Stratonicum, qui Sibyllina carmina compilavit, Cumanum quoque fuisse tradunt, alij verò Episcopum Cumanum fuisse scribunt. Tritiae urbis in Achaia conditorem aiebant Celbidam, illumq. è Cumis Opicae terrae venisse. Idem Pausanias in Achaicis.

Prodigia.

Anno ab V. C. 542. cum murus turesque & quaedam alia Cumis fulminibus icta fuissent, & penitus decussa (sic scribit Iulius Obsequens) Annibal proditione Tarentū cepit. Samnitium agros Romani vastarunt. Capua à Romanis obsessa & capta. Publius & Cneus Scipiones in Hispania occisi sunt. Cū deindè ibidem anno 552. Solis orbis minui visus fuisset, Claudius Consul naufragium fecit. Incendia sunt excitata. Q. Fabius Maximus obijt. Vermina Siphacis

Siphacis filius à Romanis profligatus est. Anno 585. in arce Cumana Apollo tres dies noctesq. lacrimauit vti diximus. Perseus Rex in Thracia eo anno feliciter pugnavit victis Dardanis. Ad aquas Cumanas Cornelius membris captus ex Albano monte rediens mortuus est. Anno 539. Mare arsit, & bouem equuleus peperit ad Sinuessam. Anno 610. Sanguis è terra emanauit.

Onobatis. Phylactae.

Mulierem in adulterio deprehensam Cumani in forum trahebant. Ibi in saxo quod ab omnibus inspiceretur eam locabant, indè Asino imponebant, ac toto oppido circumuectam, eodem consistere saxo cogeant. Quapropter reliquam vitā infamem ducebat, & *Onobátis* dicebatur. Ea vox apud Graecos, eum qui Asinum conscendit, significat. Refert id Plutarchus in Quaestionibus cēturiatis Graecis. Quo etiam loco Phylactae magistratus meminit. Qui cū magistratum obtinuisset, carceris deindè custodiae tradebatur. Sed Senatum in concilio nocturno ingrediebatur, ac reges manu educebat detinebatq. dū de ijs malè meriti nec ne essent cognoscebat, in occulto sententiam dicens.

Mulieres in adulterio.

ECCLESIA CUMANA.

Cap. XXXII.



DE Cumana Ecclesia haec leguntur in Decreto, vt duos Episcopatus in vnum redigi cognoscamus; Et temporis qualitas, & vicinitas nos locorum inuitat, vt Cumanam atque Misenatem (sic in vetusto codice B. Gregorij, sed in vulgatis & apud Gratianū legitur, Musitanam) vnire debeamus Ecclesias,

*Decr. p. 1.
caus. 6. que. 1.
cap. 8.*

Z quo-

quoniam nec longo itineris spacio à se seiunctae sunt, nec (peccatis facientibus) tanta populi multitudo est, vt singulos, sicut olim fuit habere debeant Sacerdotes. Quia igitur Cumani castrì Sacerdos cursum vitae huius expleuit, vtrasque nos Ecclesias praesentis auctoritatis pagina vnisse, tibiq. commisisse cognosce, propriumq. vtrarumq. Ecclesiarum scito te esse Pontificem. Illustris. Baronius Annal. tom. 8. exponit impensam curam quam egit Gregorius vacantium Ecclesiarum donec eligerentur Episcopi, Nepesinae, Liparitanae, Cumanae (cui Misernatem coniunxit) Lisitanae, Tauritanae, Crotoniensis, Velinae, Vxentinae, Blanderanae, Triumtabernarum.

Episcopi.

LIBERIVS, quo mortuo, Fortunato Episcopo Neapolitano Cumanae Ecclesiae visitatio demandatur.

RAINALDVS. Hunc aliqui Cumanum Episcopum esse contendunt, ad quem à Gregorio extat epistola qua eum videtur plurimi facere, hortaturq. vt Romam veniat, tum causa conciliandae pacis cum Henrico Rege, tum pro causa Episcoporum Lombardorum. Id effecit vt hanc opinionem improbarem, & non Cumarum, sed Comi in Gallia Cisalpina Episcopum censeam. Cum etiam apud Luitprandum, cum Berengarius è Sueuia in Italiam venisset, cumq. Manasse Arelatense Episcopo inimicitias haberet, Manasses Adelardum quendam accersuit, promisitq. eum donaturum Episcopatus Cumani dignitate, si quid contra Berengarium moliretur. Deindè non Adelardum, sed Valdonem quendam Mediolanensis Episcopatus gratia, Episcopum Cumanum constituit. Et tamen Cumanos Episcopos simplici nomine, & aliquandò, cum adiectione Campaniae, reperio. Quod autem ad Comum spectat, dum in Concilio Lateranensi sub Iulio II. legitur, Reuerendus P. Dominus **SCARAMVZZA** Episcopus Cumanus, Cuman

manae nostrae Ecclesiae Antistes esse non potuit, cum ea tempestate Cumae desijissent.

ADEODATVS. In Romano Cócilio sub Hilario fit mentio Soteri Neapolitani Episcopi, Tiburtij Capuani, & Adeodati Cumani. Sic vicini Episcopi coniunguntur.

*Soterus Neap.
pol. Episc.*

BARBATVS, in Concilio Lateranensi sub Martino Quinto.

PETRVS, in sexta Synodo Constantinopolitana sub Agathone; *Petrus Episcopus Sanctae Cumanae Ecclesiae provinciae Campaniae.*

MAXENTIVS. In actis S. Maximi Cumani martyris, cuius corpus Neapoli conditum est. Sub Valerio & Diocletiano.

IOANNES. eius mentio fit anno 920. in inuentione corporis S. Sossij, Missenis.

LEO. meminere acta S. Iulianae virginis & martyris, quem postremum Episcopum Cumanum existimant, proptereaquòd eius aetate propter habitatum malitiam ciuitatem Cumanam dirutam, eiusdem acta confirmant, viuentis Anselmo Episcopo Neapolitano.

*Anselmus
Neap. Episc.*

MISENVS, vel MENSENVS. In secunda Synodo Romae sub Symmacho. In aedibus Episcopi Puteolani hunc lapidem vidi, & notaui,

HIC. REQUIESCIT. IN. PACE. MISENVS. EPISCOPVS. P. M. 2. XXVI. DEPOS. III. ID. IANVAR. FL. FELICIS. V. C. ET. SEDIT. ANN. M. X. D. VI.

IOANNES. Anno 1134. & sexto Principatus secundi Roberti, filij secundi Iordani gloriosissimi Principis (sic in diplomate) Capuae, & Comitissae Auerisae subscribitur, Ioannes Cumanus Episcopus. Illud autem erat huiusmodi; *Gulielmus de Pirollo filius quondam Alexandri eiusdem cognominis qui sum vnus ex Baronibus ciuitatis Auerisae, pro anima eiusdem & parentum suorum, concedit & confirmat domino*

Z 2 Petro

Petro venerabili Abati monasterij quae dicitur ad Cappellam, quae est sita foris ciuitatem Neapolis, integram Ecclesiam vocabulo S^{an}cti Petri quae dicitur ad pertusum, regione Bugense, quae esse videtur in territorio castri noui Cumarum, & quae sequuntur. Inter coeteros subscribit, Ioannes venerabilis Cumanus Episcopus.

Anno 1141. anno sexto quo Rogerius Rex Siciliae, Capuae Principatu potitus est. IOANNES II. Episcopus S. Ecclesiae Cumanae, cum cōsilio cleri & populi eiusdem ciuitatis concedit & confirmat Rogerio Abati monasterij S. Mariae de Pasitano, Ecclesiam S. Martini, in agro Cumanano. Petitq. ab eo vt nummos aliquot singulis annis soluat. & inter alia, vt in S. Maximi natali, & in Coena Domini, praesbyterum ad officium diuinum perficiendum mittat. *Signum Crucis manus praenotati Secundi Ioannis Cumanus Episcopi. Marcus presbyter & canonicus Sancti Maximi, &c.* Cumanam Ecclesiam Neapolitana possidet, Alexandri Carrafae Archiepiscopi aetate; & decimam ibi accipit, ex omnibus ijs quae ibidem Fiscus possidet. Non huius Ecclesiae meminerunt Honorius III. in C. *Cumana Ecclesia de electione*, & Innocentius III. in C. *Cum ad sedem de Restitutione spoliatorum*; sed eius quae Comi est.

Martyres Cumani.

ABVNDIVM Cumanum Episcopū qui scripsit martyrium sub Valeriano passum, & in eadem ciuitate martyrio quoque fuisse coronatum Sanctum FIDELIEM, legat necesse est Martyrologium, atque discat non Cumas, sed Comum ijs martyribus esse celebrandum, quamuis in tipographia veteris Martyrologij legatur; *Cumae Campaniae ciuitas in sinu Baiarum. Hic Abundius Episcopus migrat.*

IVLIANA. XIII. Cal. Martij Cumis in Campania translatio facta est Iulianae virginis & martyris quae Nicomediae sub Maximiano Imperatore primū à patre suo Africano grauitè caesa, deindè ab Euilasio Praefecto cui nubere recusarat, variè cruciata, & in carcerem coniecta

vbi

Ecclesiae in agro Cumanano.

S. Iuliana martyr.

vbi palàm cum diabolo conflixit. Demum ignes & ollam feruentem superans, capitis amputatione martyrium consummauit. Eius translationem sic celebrat officium sacramentum Virginum quae Diuae Mariae Donnaromatae sunt dicatae.

Lectio prima;

Anno igitur ab Incarnatione 1207. Cal. Martij, cum Ciuitas Cumana propter malitiam inhabitantium destrueretur, venerabilis pater Anselmus Neapolitanus Pontifex, ac religiosa domina Bienna Ecclesiae S. Mariae Donnaromata Abatissa, quae huius Virginis reliquias flagitabat habere, sedulò requisitus pro deferendis eisdem, Leonem Episcopum Cumanum cum pluribus Abatibus & militibus de Neapoli Cumas sollicitè destinavit, qui de Cathedrali Ecclesia B. Maximi gloriosum corpus effodientes, unde odor nimis exhalauit, & hymnis & canticis ad Ecclesiam Dei genitricis B. Mariae de Pedicrypta detulerunt.

Lectio secunda;

Quo audito venerabilis Abatissa cum sodalibus Virginibus suis & multitudine nobilium Dominarum illuc concita properauit. Et cum omnes in terram prostratae benedixissent Dominum, surgens ab oratione religiosa Abatissa, locellum sanctarum Reliquiarum amplectens, stringensq. cum lacrimis dixit; Obsecro te, Virgo sanctissima, per eundem pro quo sanguinem tuum fudisti, ne despicias tuam ancillulam. Pro te veni anxia, diu est quod te optaueram. Supplico ne despicias nostram mansuiculam. Credimus sanctissima vt per te fiat amplissima te nobis concedere diuina potentia. Deinde tota nocte vigilantes cum psalmis & hymnis Deo seruientes.

Lectio tertia;

Manè verò surgens praedictus Leo Cumanus Episcopus, simul cum bis quos tu misisti pater sanctissime, deducentes eas, honorifice obuiantes ei Sacerdotes & milites de regione Nili, simul cum magna plebe portantes ramos Oliuae in manibus, cantantes, O sancta in altissimis Deo; deinde adorantes cunctas reliquias, praeibant canentes & dicentes; Benedicta quae venit in nomine Domini. Et sic canendo peruenierunt ad Ecclesiam B. Nicolai CHRISITI Confessoris de Castro Lucullano, sitam propè moenia ciuitatis.

Lectio quarta;

Quo adueniens tu pater beatissime cum processione magna totius cleri & populi ciuitatis, mulierum quoq; & infantum turba ad locum

cum ubi sanctae Reliquiae erant, satis deuotè atque humiliter accessisti, quibus cum maxima reuerentia & deuotione susceptis, humerisq. impositis tuis & Episcopi Cumani, aliaq. casula in qua erant Reliquiae S. Virginis & Martyris Iulianae, ac duobus praesbyteris Cardinalibus, suscepta quae praecedebat Icona ipsius S. Virginis pulchra nimis cum hymnis & laudibus, cereisq. incensis, cum maximo iubilo & exultatione, Te Deum laudamus, canora voce cantando, ciuitatem intraisti, & cum honore & laetitia maxima ad Ecclesiam B. Dei genitricis, & Virginis Maria de Donnaromata properasti.

Lectio quinta;

Vbi reliquias S. Virginis & Martyris Iulianae quas proprijs manibus baiulabas, satis honorificè reponere studuisti, oratione ibi in Dei laudibus celebrata.

Lectio sexta;

Deindè alias sanctas Reliquias, Martyris videlicet & Leuitae quae cum eo repositae fuerant, cum honore & laetitia maxima ad maiorem Ecclesiam B. Ianuarij Martyris satis honorificè collocasti.

Quibus ex verbis elicimus Cathedralem Cumis Basilicam, S. Maximi nomine decoratam fuisse. Anselmum, Neapolitanum Episcopum, Leonem, Cumanum. Eo tempore Cumas antiquatas. Cardinales appellatos tunc Canonicos, quod Pontificum praesentia cõtigerat. Regiones fuisse appellatas eas quas nunc Sedilia Neapoli dicimus; & Milites, quos nunc Equites appellamus. Nili regionem, non Nidi, ob Nili fluminis statuam ibi repositam, esse dicendam, eamq. antiquissimam. Ecclesiam praeterea Monialium eam fuisse quae cum Sedili coniuncta saecularium habitatio ab hinc xxx. annos facta est ab Antonino Castaldo. Dùm ipse puer ibi litteris operam darem, paruum aedem recolo, in qua Diuae Iulianae historia depicta erat, & D. Iulianae erat aedi nomen. De eadem Virgine multa in Salernitano Breuiario habentur die 16. Februarij, quae ad eius faciunt historiam. Aliqua tamen sunt quae à verò longè aliena esse videntur. Qui enim fieri potuit ut inualecente persecutione in ciuitate Nicomediorum, Eleusius Senator Maximi

mini Imperatoris habuerit Iulianam sponsam, quae Virgo celebratur ab Ecclesia?

MAXIMVS. Inuenimus Sanctorum gesta quorum nulla à Martyrologio mentio facta est quae ex Longobardorum scriptis excerpta, non pigebit afferre. Cum ascerimus Christiani nominis hostis à Diocletiano & Maximiano missus est Fabianus Consul qui omni conatu Christianos ab eorum cultu & religione reuocaret. Erat ibi Maximus eius Ecclesiae Diaconus, CHRISTI fortissimus athleta, quem cum nec minae deterrerent, nec mouerent premia, plumbeis ictibus primùm caesus, in vincula coniectus, consumptus inedia, equuleum passus, tandem capite ad martyrij coronam in loco qui Caballaria dicebatur, multatus est; vbi eius corpus sepultum à XVII. militibus. Hi cum admirabilia in eius afflictione vidissent, Idolorum cultum reiicientes, fidem Christianam amplecti libentissimè voluerunt. Sanctus martyr aliquot post annos religiosissimae cuidam feminae, cui nomē Iulianae, in somnis imperauit vt corpus ab agro in templum transferret, pollicitusq. est, dùm corpus perquirerent, Crucis signum ibi appariturum. Mox femina, populus, clerus ad Caballariam profecti, perspecta Cruce, summa cum laetitia corpus integrum extulere, & Cumis in templo eius nomini dicato condiderunt. Hic Maximus ille est, qui in maiori Basilica Neapolitana seruatur, & cui sollemnia sacerdotes annua celebrant.

*Fabianus
Consul.*

Puer, trium mensium, coràm Fabiano, Maximi sanctitatem diuinitus testatus est. Mébratim idcirco discerptus, & martyrio Maximum antecessit.

Maxentius, latitabat tunc Cumanus Episcopus, Fabiani crudelitatem extimescens. Sed cum Maximus esset in carceribus, vbi milites ad fidem conuersi detinebantur, & baptizari cuperent, orassetq. Dominum vt opem ei tunc ad illud praeclarum opus ferret, à Domino Maxentius excitatus

*Maxentius
Cumanus.*

tus est vt ad Maximum pergeret. Et cùm illuc peruenisset, carceribus ab Angelo reſeratis, Baptismate Neophytos abluit, deindè ad easdem latebras ſeceſſit. Ex vita litteris Longobardis ſcripta, haec decerpsit Breuiarium Capuanum III. Calen. Nouemb.

Lectio prima;

Sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus facta est ingens perſequentio Chriſtianorum, ita vt circa domos, circa plateas, circa lymphas Idola erigerentur, vt ſi quis vellet emere aliquid aut vendere, aut aquam de fontibus haurire, Idolis primitus immolaret. In tantum enim rabies diaboli exaceruat, vt CHRISTI ſidem de omnibus terris expellere ſeſe poſſe conſideret. Trabebantur etiam viri ac mulieres, & diuerſis ſupplicijs pro CHRISTI nomine macerabantur.

Lectio ſecunda;

Interea directus eſt Fabianus Praeſes in Campaniam ciuitatem (Cumas habet vita) vt ibi omnes ad ſacrilegium prouocaret. Cumq. veniret & pro Tribunali ſederet, iuſſit omnem populum ad ſe congregari, & ita ad eos loquutus eſt dicens; Sciatis omnes quia inuictiſſimi Imperatores Diocletianus & Maximianus, me direxerunt in hanc ciuitatem, vt Deos immortales adoretis; quod ſi nolueritis, diuerſis poenis afflicti moriemini. Audiens haec vniuerſus populus procidentes in terram, adorabant Idola ſurda & muta, & Deum viuum derelinquebant.

Lectio tertia;

Erat igitur in eadem ciuitate vir ſanctus, Deo dignus, nomine Maximus, genere clarus, religione pius, & caſtitate pudicus. Hic igitur trophaeo Crucis armans frontem, in faciem Praeſulis ſe obtulit dicens; Audi Praeſes verba mea, qui non effugies iudicium Dei. Quid prouocas homines adorare Idola ſurda & muta quae penitus in nullo poſſunt adiuuare cultores ſuos? Cũq. ad haec iratus Fabianus diuerſa diceret, & audiret, iuſſit latera eius plumbatis tundi, & eum indè in carcerem recludi. Poſt haec cum carbones ardentes, equuleum, ſuſpendium inuerſo capite, lampades accenſus atq; flagella CHRISTI virtute ſuperaffet, & ſacrificare nollet, nouiſſimè capite caeſus eſt III. Cal. Nouemb.

PALVS ACHERVUSIA, ET VILLA

Servilij Vaciae.

Cap. XXXIII.



INTER Cumas & Misenum Acherusiae palus est. καὶ ἐν τῷ μεταξὺ Ἀχερουσία λίμνη, inquit Strabo. Plinius item lib. 3. c. 5. *Acherusia palus Cumis vicina*. Acheruntiam, Acheruntē, & Acherontē quoque appellarunt. Lib. 5.

Ferrugineis & squalentibus aquis, coenosa maris effusio. Lacum Colutij accolae vocant, maturandis linis apprīmè cōmodum. Sunt qui contendant per hanc paludem Lacus Colutij.
Auernum intelligi, cūm dicat Virgilius,

Vnum oro, quando hic inferni ianua Ditis

Dicitur, & tenebrosa palus Acheronte refuso.

Et Strabo ipse paulò post, scribit Artemidorum putasse Auernus & Acherusia.
Auernum Acherusiam paludem, & nonnullos alios, Lacum Lucrinum; ἔνιοι δὲ τοῦτον αὐτὸν λίμνην εἶναι τῇ Ἀχερουσίᾳ φασίν; Ἀρτεμίδωρος δὲ αὐτὸν τὸν Αἰορνόν. Quae tamen sic coniunguntur, vt intelligamus Acherusiam in Auernum per subterraneos meatus refundi. Hinc Silius lib. 12.

Hinc vicina palus fama est Acherontis ad undas

Pandere iter, caecas stagnante voragine fauces

Laxat, & horrendos aperit telluris hiatus,

Interdùmq. nouo perturbat lumine manes.

Ideòq. Seruius de aestuarijs Acherontis, Auernum nasci scribit. Pausanias in Laconicis ait à tergo Chthoniae areas tres describi, vnam Clymeni, Plutonis alteram, tertiam Paludem Acherusiam. Est & Acheron fluuius Epiri, de quo Plinius; & Brutiorum, de quo idem, vbi Alexander Molossorum Rex trucidatus est. Ianus Parrhasius in Lib. 3. c. 5.
Lib. 4. c. 1.
Claudianum scribit flumen ad Heracleam sic etiam appel-

A a lari,

Iari, ab Acheronte Maryandinorum Rege, quod etiam Saonantes dicitur.

Seruilius Vac-
cia.

Epist. 16.

Ad Acherusiam, Villa est Servilij. Hic P. ille Servilius Vacia, qui postea Isaurius est appellatus. Consul cum Appio Claudio Ann. ab V. C. 674. bellum in Cilicia cum Piratis gessit, deq. ijs triumphavit capto Corico, Olympo, Phaselide, Isauo. anno 679. Cenfor cum L. Aurelio anno 689. Valerius lib. 8. tit. 5. Cicero, Verrina 5. Eutropius lib. 6. Decessit eo anno quo Caesar. anno 700. Diues per excellentiam dictus. Seneca eius villae sic meminit; *Ideo diutius vehi perseveravi inuitate ipso littore, quod inter Cumas & Servilij Vaciae villam curuatur, & hinc mari, illinc lacu, velut angustum intercluditur.* Et paulò post; *In hac villa Praetorius diues nulla alia re quam ocio natus consenuit, & ob hoc vnum felix habebatur.* De se ipso, refert idem, solitum iocando dicere; *Hic situs est Vacia*; quòd ibi ocio contabuerit. Vita-uerat ob Tiberij crudelitatem, Romam, eòq. diuerterat, vt omnes exclamarent; *O Vacia, solus scis viuere.* Inter illas ruinas aliquot reperta sunt epigrammata.

T. IVLIVS. BALBIVS. FRATER
VNA. CVM. FILIIS. SVIS
ET. COHEREDIBVS
SORORI. DVLCISSIMAE.

Aliud,

HIC. EST. POSITA. ALBV CIA. BLESILLA
PARI. EXEMPLO. FEMINA
QVAE. VIX. ANN. XXX. M. VI. D. XIX.
DVLCISSIMAE. CONIVGI. FECIT.

Item,

D. M.

ANTIGONVS. GERMANICVS. QVI. VIX. AN. XVI
C. LAECANVS. EQ. SING. CAES. ARGENTARIVS
HERES. PIENTISSIMO. AMICO. TITVLVM. FECIT.

Praeterea,

T. ANNIVS. CLAVDIVS. V. F. SIBI. ET. FAVSTI-

NAB. CASSIAE. PATRONAE. ET. POMPEIAE.
CALPHURNIAE. LIB. CONIVGI. CHARISS.

Aliud,

SOLI. INVICTO
ET. LVNAE. AETERNAE
Q. MINVC. PARAT. DED.

&

INVI. VICTORI. TREBONIVS. GALLVS
COS. PORTICVM. EX. VOTO. FECIT
DEDICAVIT. X. K. MAIAS. APPIC. ANNIO
M. ATL. . . . COS.

CRYPTA NEAPOLITANA

Pausilypus. Cap. XXXIIII.



T nihil huic desit historiae, Crypta quoque Pausilypana addenda est quâ Puteolos itur. Nec Puteolos se vidisse fatebitur qui Cryptam minimè viderit. Maximum & celeberrimum profectò opus, quam sic describit Seneca; *Cùm Baijs deberem Nea-*

Epist. 58.

polim repetere, facile credidi tempestatem esse ne iterum nauem experirem. Sed tantum luti tota via fuit, ut possem videri nihilominus nauigasse. Totum Athletarum satum illo die perpetiendum fuit. Aceromate nos haphè excepit in Crypta Neapolitana. Nihil illo carcere longius, nihil illis faucibus obscurius, quae nobis praestant non ut per tenebras videamus, sed ut ipsas. Coeterum, etiam si locus haberet lucem, pulvis auferret. In aperto quoque res grauis & molesta. Quid illic ubi se volutatur, & cùm sine ullo spiramento sit inclusus in ipsos à quibus incitatus est decidet? Duo incommoda inter se contraria simul pertulimus, eadem via, eodem die, & luto & puluere laborauimus. Aliquid tamen illa obscuritas quid cogitare dedit.

Cryptae obscuritas.

Hoc in statu Crypta erat ea qua Seneca viuebat aetate, *Cryptae claritas.* ut hoc tempore viam Puteolanam, Cryptae commodita-

tem, & lumen admiremur. Silice stratum iter, puluerem lutumq. remouet. Amplissimae fauces, quae lucem veluti in aperto admittunt. Et locus qui carcer antea nuncupabatur, habetur iam in delicijs. Aliqui aniles sequuti fabulas, à Virgilio magicis artibus perfossam tradiderunt, id quod & de ouo Luculliano somniarunt. Quid tamen Magia cum ferro? Audi Petrarcham. *Inter Falernum & mare mons est saxeus, manibus hominum confossus, quod opus insulsum vulgus à Virgilio magicis cantaminibus factum putat. De quo cum olim me Robertus Regno clarus, & ingenio ac literis praeclarus, quid sentirem, multis adstantibus, percunctatus esset, humanitate Regia fretus iocans nusquam me legisse Magicum fuisse Virgilium dixi. Quod ille serenissimae frontis nutu approbans, non illie Magici, sed ferri vestigia confessus est.*

Lib. 5.

Cimmerij.

Aliqui Basso cuidam opus illud tribuunt, cuius sanè nemo meminit. Strabo fabulosè dictum existimat à maioribus, Cimmerios iuxta Baias, Lucrinum, & Auernum habitasse (asserit tamen eos antiquissimos fuisse Campaniae populos; & furtis deditos scribit Pótanus) & cauernis quibusdam inter se cōmeantes metalla effodisse, placatis prius per sacrificia Genijs Manibus, & in speluncis profundis suas diuinationes exercuisse. Addidit tamen Graecos qui regionem illam deinceps incoluerunt, Cimmeriorum fodinas ad hypocausta, thermas, viasq. & alios vsus accommodasse, & Romanos Graecorum exemplo vt eos in magnis operibus superarent, subterranea illa loca plurimum auxisse, cum ibidem aedificia exstruerent, & Puteolanae arenae virtutem ad structuras firmandas cognouissent.

Quamobrem Cocceium asserit, Cimmeriorum fortè fabulam sequutum, ab Auerno Cumas vsque cuniculum duxisse alterumq. ad Neapolim ex Dicaearchia, viam optimè per fossas duci ratum. Cuius tamen verba aliqua ex parte corrupta esse non vereor, cū dicat; Νυν δὲ τῆς μὲν ὕλης τῆς περὶ τὸ Ἀορνὸν κοπέσης ὑπὸ Ἀγρίππα, τῶν δὲ χωρίων κατοικοδομηθέντων, ἀπὸ δὲ τοῦ Ἀόρνου διώρυγος ὑπωνόμου τμηθείσης μέχρι Κύμης, ἅπαντ' ἐκείνα ἐφάνη-
μύθος

μύθος. τοῦ Κοκκίου τοῦ ποιήσαντος τὴν διώρυγαν ἐκείνην, καὶ ἐπὶ Νέαν πόλιν ἐκ Δικαιαρχείας ἐπὶ ταῖς Βαῖαις ἐπακολουθήσαντος πῶς τῷ περὶ τῶν Κιμμερίων ἀρτίως λεχθέντι λόγῳ, τυχὸν ἴσως καὶ πάντες νομίσαντος τῷ τόπῳ τούτῳ δι' ὀρυγμάτων εἶναι τὰς ἐδούς; *Nostra vero tempestate cum siluam quae circa Auernum fuit caecidisset Agrippa, & loca aedificijs occupata essent, aetiusq. infra Auernum Cumas usque cuniculus, omnia ista fabulas esse liquidò apparuit, cum quidam Cocceius, qui cuniculum istum duxit, & alium à Puteolis ad Neapolim suprà Baias tendentem, ferè sequutus sit fabulam istam de Cimmerijs modò relatum, ac fortasse etiam loco huic antiqua consuetudine putauerit conuenire, ut per fossas viae ducantur. Quid illa, à Puteolis ad Neapolim suprà Baias? At quo pacto à Puteolis ad Neapolim suprà Baias cuniculus aliquis tendere potuisset? Quare corruptè legi cuique patebit.*

Pontanus nescio quàm feliciter Cocceium Neruae auum *De Magnif. cap. 10.* introducat; *Refertur ad M. Cocceium (nescio an is fuerit M. Cocceius Neruae Augusti auus, qui Romae aquarum curam habuit, tulitq. maximam Architecturae laudem) refertur, inquam, ad hunc, siue ad alium Cocceium crypta Neapolitana, & quae sequuntur.* Aliam in Pausilypana commemorat Seiani cryptam, ea parte qua mons in mare protenditur, quam rupium casus occuparunt. Alij Cocceio Puteolani templi Architecto adscribunt. Quod omninò reiicio, cum antè Augustum multos annos Strabonis Cocceium fuisse sciamus.

Nullo pacto Luculli opus dicendum. Licet enim Varro dicat; *Contrà Neapolim L. Lucullus posteaquàm perfodisset montē, ac maritima flumina immisisset in piscinas quae reciproce fluerent, ipse Neptuno non cederet de piscatu;* ea tamen verba cryptae huic non conueniunt, quandò nec maritima in ea flumina immitti, nec reciproci maris fluctus excipi, nec piscationes exerceri potuissent; nec nisi ad itineris commoditatem factam, opus ipsum ostēdit. Scimus praeterea omnem ferè oram Pausilypanam quae ad meridiem vergit, fuisse perfossam; inter se enim adhuc antra migrāt. Et Plutarchus Lucullianum hoc opus non praetermisisset, qui eius viri opera omnia diligentissimè describere conatus est.

Et

Et meminisset Strabo qui paulò post Lucillum superuixit. Blondus Varronis verba ad eam Luculli villam refert, cuius ruinae Agnano Balneo supererminent. Quid si dicerem Cumanos eam excidisse, vt Neapolim commodiùs accederent, cùm nouae condendae vr̃bis rationem iniuerunt? Quid si Palaepolitanos, vt Puteolana balnea adirent? An cum Blondo dicam, *Quis autem id memorabile opus fecit, ignotum est nobis?*

Illud affirmare possumus, nullas Neronis aetate qua Seneca scripsit speluncam habuisse luminū fenestras, aut spiracula. Obstruxisse tamen luminibus vel terraemotus, vel aliud quidpiam credendum est, cùm Strabo qui sub Augusto floruit, varijs fenestris per montis iugum eam lumen accepisse scribat, ne spiracula illa noua credamus. Petrus Razanus Siculus Lucerinus Episcopus, antè sua tempora annos centum quinquaginta foramina nulla fuisse testatur, vt omnes ingressum perhorrescerent, durissimis vepribus obstructis faucibus. Tùm postea ab Alphonso primo Rege viam complanatam (quod Pontanus antea docuit) latiorē, & faucibus altioribus, lucidiorem esse redditam. Petrus è Toletò Regni Vicarius qui Puteolanos hortos voluptatis causa parauerat, adeò magnificè amplificatam ornauit, vt perpetuum octingentorū, & eò amplius, passuum iter, claro vtrinque ostiorum lumine, iucundum ac facili sit patefactum.

Quisque verò memorabile illud opus ausus fuerit, immortali laude ab omnibus est afficiendus qui difficile & longum iter aegris auertit ad Puteolanas thermas proficiscentibus; aduenis qui ex intimis orbis partibus eò se cōferunt; Puteolanis qui iumentis & carris quos duplices locus capit, fructuum varietatem Neapolitanis suppeditant; Neapolitanis ipsis qui ad rura diuertētes, magnam itineris partem absque solis & pluuiarum molestijs conficiunt; vina, ligna importanda, lina in tepidis Agnani aquis maturanda curant.

curant . Et laudandus is est qui in medio specu igne prae-
lucet , vt Deiparae imagine recreentur iter facientes . Il-
ludq. praecipuè animaduertimus , nunquam ibi aliquod
scelus fuisse perpetratum , dixitq. Petrarcha in Itinerario,
Et nullis vnquam latrocinij attentum patet.

Pausilypus.

Mons in quo crypta perforata cernitur , PAVSILY-
PVS est , nouus Musarum Sannazarij domicilio , & Vir-
gilij sepulcro Parnassus , nouae deliciarum oblectamentis
Baiae , vnde curarum moerores longissimè abiguntur . Idq.
nomen inditum ἀπὸ τῆς παύσιος τῆς λύπης . Ibi Bacchus λυσίπονος
est quoniā λύει τοὺς πόνους . Ibiq. quando bibimus, Anacreon-
ticum illud in memoriam venit ,

ἔταν πίνω τὸν οἶνον

ἔυδουσιν αἱ μέριμναι

Caesaris gratiam aliquos aucupari voluisse ex antiquo la-
pide dictitant ,

Pausilypus noster qui nunc dat nomina monti ,

Sic dicta à magno Caesare villa fuit ;

Quod foret insanis requies fidiſſima curis ,

Et portum fessae redderet ille rati.

Ad eius loci imaginem Virgilium effinxisse cāpos Elifios
ait Pontanus , cum inquit ,

Secreti celant calles , & mirtea circum

Silua tegit ———

Quamobrem sic laudat M. Antonius Flaminus ,

Lib. 3.

O vtinam ille suo me sistat numine sancto

Ad fortunati numina Pausilypi ;

Littora diuino quondam celebrata Maroni ,

Et patrio Minci flumine chara magis ;

Littora quae toties viderunt Calliopeam

Dictantem Vati carmina docta suo.

Nihil Baianis cessisse videtur piscinis Pausilypus , quan-
dò inter coeteras piscinae Caesaris muraenarum numero
collem

Lib. 9. c. 53. collem nobilitarint. De quibus sic Plinius; *Pausilypum villa est Campaniae haud procul Neapoli. In ea Caesaris piscinis à Pollione Vibio coniectum piscem, sexagesimum post annum expirasse scribit Annaeus Seneca, duobus alijs aequalibus eius ex eodem genere tùm viuentibus.* Ideò tamen piscinae Caesaris,

Pollio Pausilypani Augusti haeredem facit.

nam Pollio Pausilypanum Augusto legauerat; *Τελευτήσας δὲ Παύλιον τῷ Αυγούστῳ τὴν οἰκίαν, καὶ τὸν Παισίλυπον χωρίον τὸ μεταξὺ Νέας τῆς πόλεως καὶ τῆς Πουτεύων κατέλιπεν; Moriens Pollio (inquit Dio) Augusto domum & Pausilypanum propè Neapolim & Puteolos reliquit.* Atque is erat Vibius ille, vel Vedius quem idem

Dio scribit Muraenas in piscinis habuisse, quas humana carne vesci docuerat, quibusq. mancipia morti destinata obijciebat, quare non ad delicias sed ad poenam eas parasse dicerem. Coenauit apud eum fortè Augustus. Et cùm puer qui erat ad cyathos vas christallinum fregisset, in piscinam Muraenis erat obijciendus. Obsecrauit puer Augustum ne eo mortis genere occideretur. Dimitti puerum Augustus iussit, & quicquid esset chrystallinorum apud Pollionem afferri, & allata perfringi, & immitti in piscinam. Fuit Caesari sic castigandus amicus (inquit Seneca) & benè vsus est viribus suis. Quis diuinasset fore vt Pausilypanae muraenae deinceps delicatissimae essent existimandae? Pollionis aedes post eius obitum hac de causa funditus euerit, & ex eius relliquijs circumducta porticu Romae, Liuiæ nomine exornauit. Arbitratus essem aliquandò eas piscinas inter Nesidem & Pausilypum fuisse positas quarum extant ruinae (Copinum, appellant) crustato adhuc pariete, oblongae, cymba nauigabiles, ad quas per gradus qui extant descendebant; nisi Lucillum maiora ibi fecisse

In Lucullo.

scirem, qui exhausta infernè terra, vt scribit Plutarchus, colles pensiles efficiebat, cursusq. in mari, piscoso transitu aedibus suis circumducto, habitationibus in mari extructis, quarum vestigia sexcenta in eo littore cernimus, quapropter à Tuberone Stoico, togatus Xerxes fuit appellatus. Maris transitus in pluribus locis cōspiciuntur, & inter

prae-

praeruptas speluncas ruinosi utrinque aditus per cryptas reliqui. Notat Pollionis luxus Tacitus lib. 1. & aliorum quoque Varro; *Sic nostra aetas, inquam, luxuria propagavit Lib. 3. de re lep. ac piscinas protulit ad mare, & in eos pelagios greges rust. piscium reuocauit.*

Hic igitur celebris ille Pausilypus Romanorum quondam quies. In littore (Latus vocat Sannazarius

——— *dum Pausilypi latus omne pererro*)

quae nam admiranda se offerunt? Dirutae antiquae artis Architectonicae reliquiae, quae iam non ab Heroicis viris, sed ab Ostreis, Cochleis, Echinisq. tenacissimè incoluntur. Quae quoniam in scopulos maxima cum vetustatis iactura immigrarunt, muscoso supellectili, & vdis filinarum densitatibus, dulces Muraenas, ut diximus, non conferendas cum ijs quae intra Siculi freti angustias capiuntur ab Apuleio celebratis, octopedales Congros, pilosos Paguros, turbinatas cuiusq. generis phalanges, ut etiā purpureos reddant scopulos dum purpuram vomunt, captiosos Culices alunt.

Mare flauum manè conspicitur, coeruleum meridie, Faunio nascente purpureum. A Sole verò & Luna collucet, albescit, & vibrat, & maxima cum voluptate conglobatur vndique aequaliter, neque redundat vnquam, neque molestius effunditur. Tepescit Zephyro agitatam, & ut sua pte natura tranquillum, nec agitari, nec turbari, nec difficiliore aestu efferuescere potest. Piscatorum vestigijs arena continuò premitur, infelicemq. eius contactus ablegat podagram. Retia, grypos videas Cephalis saltantibus infidias parantes, Nassas, Labyrinthos pelago sepultos, Detrices armatos, rubeas Locustas allicientes; Thynnos, Pelamedesq. carceribus funeis detrusos, *Βασιλίσκας*, Acus, Clupeas hamo captas; arundine, fetisq. pisces passim deprehensos dum lōgos desides piscatores amplectuntur Soles; Chelidona volātem; Loliginum, Sepiarumq. nigro colore

vndas commisceri; Polypos tenaciùs faxis admotos. Cochleas vndique eruas. Mytilos odorata ex arena colligas. Echinorum decies centenis millibus humidulas cistas inter marina folia impleas.

Sedentes interim frugalibus conuiujs vacantes sexcentos comperies, coeterosq. palâtes, vel nudas genu mulieres cum crispulis vndis quae ad littus vento compelluntur colludêtes. Hinc frequentius lembis & mare legi; hinc multorû in canendo certamine delectaberis. Heroes classe vehi dicas. Sinus grata Doride, Musisq. refertos saepius adeas necesse est. In exiguis vallibus ad littus decurrentibus, apricis Solis radijs quos inter versicolores frondes emittit, tûm virgultorum quae ad opacanda loca patulis sunt diffusa ramis vmbra mirificè delectamur. Sed in tanta amoenitate locus luxu nimio maximo detrimêto est Neapolitanis. Accedit ad Baianas comestationes Senecae improbatas. Qui saepius ea praternauigauit littora, aut in mortis scopulos immaturè allisit, aut aeris alieni pelago miserrimè submersus est.

Quod si iugum subieris, Lyaeum musto madidum, aut pampinantem, aut liquantem meliora Falernis, Caecubisq. generosa vina purpurea & alba, Graeca item Vesuuinis suauiora reperies. Vina quidem Aminaea aliqui esse contendunt cûm dicat Plinius; *Post vina Gauri montis, vina quidem in collibus Neapolim vicinis oritur, Aminaeum nuncupatum, sed tenue & aquosum.* Eaq. vina idem affirmat magis esse generosa quàm quae in Sicilia & Bithynia nascûtur. Omnem gratiam commendat in hoc vino Andreas Baccius qui vinorum conscripsit historiam. Commêdamus nos qui quotidie gustamus. Sincerum, odoratum, sapidum; sub maximis caloribus stomacho gratum; facilè descendens, vrinâs promouens, nec hepati nec renibus infestum, nec caput feriēs. In vsu idcirco apud Romanos Principes, si quandiu feruetur tota aestate, est enim alterabile, & medio-

Vina aminaea.

cris

cris substantiae, ut non facile maris patiaturo labores, quod eius bonitatis praecipue est argumentum.

Praeter vina hic Pomonam sapidissimos omnium fructus in quasillis concinnantem videbis. Rem rusticam, & nobiliorem agriculturam in hortis pomorum ubertate, & varietate, maxime laudabis, quae aut cruda ex arboribus vellantur, aut cocta decidunt, non tantum gustatu, sed etiam odoratu & aspectu sunt valde iucunda. Ficus fert Africas, Albulas, nigras, Calphurnianas, Cucurbitinas, Duricorias, Herculaneas, Numidicas, Tellanas, Atras, Biferas, Praecoces quas nostrates Gentiles vocant, quae inter omnia ficuum genera familiam ducunt. Vuas quoque & terrae succo, & calore Solis augescentes, quae suauissime dulcescuntur, Atrufcas, Apicias, Bumammias, Duracinas, Malampsithyas, Maronias, Pilleolatas, Rhodias, Variolas, Pergulanas, sed Appianas in primis quas Moscatellam nuncupamus. Quod si quando ficus & vuas infolatas gustaueris, nihil sane dulcius. Quicquid tandem ibi nascitur dulcius & delectabilius est quam coetera quae in tota Campania nascuntur.

Doctissime ibi accolae piscatoriam norunt. Mulieres agricultura exercentur, sed in colendo lino cuius optimi loca illa feracia sunt, nimis accuratae. Assurgunt hinc Pirus, inde turres, & Villarum culmina prominent, florumque & herbarum stramina laetissima arbuta tegunt. Rupes passim sic littori adiacent, ut nihil arenae adimant venustatis, florumque suauitatem redolentes cum alga Thetidi ferta contextunt. Palumbium exercitus magnam cladem aucupio accipiunt. Aduenae coturnices in Accipitrum vngues retiaque decidunt, lepores laqueorum metu in mare defiliunt, atque huiusmodi piscatu, aucupio, venatione, agricultura, habitatores felicissime viuunt.

Virgilij sepulcrum.

Pausilypus montium pulcherrimus, pulcherrimam ciuitatum Neapolim, Pausilypum verò & Neapolim tumulus qui Poëtarum principis Pausilypanam cryptam ab oriente ingredientibus suprâ rupem obijcitur, exornat. Quis neget omnem Neapolitanae vrbs gloriam mortuo Virgilio, in eo sepulcro fuisse sepultam? Et quis neget eos cineres, eas tumuli reliquias, Neapolitanam amplitudinem quotidie ad vitam reuocare? Periere Neapoli Musarû cantus, Neapoli inquam quae Amorum & studiorum mater habita est, cum Musae & studia coeteras vrbes Nouercas habuerint; at verò Musarum parentis & alumni memoria ibidem perpetuò viuet. Maiorem honoris gradum quàm Regni dignitate quae maximum nomen apud exteras gentes illi vrbi comparauit, Virgilij cineribus est consequuta. Mirum illud fanè, & virtutis illud est trophoeum, quòd absumptus in eo tumulo lapillus, quauis Regia clarior habetur. Loquitur de eo Petrarcha, locum designans quem non potuisse ab ipsis inueniri scribunt Blondus, & Razanus, his verbis; *Sub finem fusci tramitis* (Puteolis discefferat) *ubi primò videri coelum incipit, in aggere edito, ipsius Virgilij busta visuntur, peruetusti operis, undè haec forsàn ab illo perforati mōtis fluxit opinio.* Id quidem maximè honoratum fuisse à Silio Italico scribit Plinius nepos ad Caninium Rufum, *Virgilij antè omnes, cuius natalem religiosius quàm suum colebat. Neapoli maximè, ubi monumentum eius adire, et templum, solebat.* Et veluti templum veneratur Statius,

Lib. 3.

Lib. 4. Silu.

— & geniale sequutus
*Littus ubi Ausonio se condidit hospita portu
 Parthenope, tenues ignaro pollice chordas
 Pulso, Maroneiq. sedens in margine templi
 Sumo animum, & magni tumulis ad canto magistri.*

Lateribus structura composita est, in cuius medio nouem columnas Vrnas sustinentes fuisse tradidit Alphonsus Heredia

redia Arianensium Episcopus, ex Canonicoꝝ Regularium familia, qui bonas litteras viuens coluit. Vrnā marmoream cum disticho quod à Donato recolitur,

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc

Parthenope. cecini pascua, rura, duces,

Se vidisse scribit Petrus Stephanus qui ab hinc annos xli. opus de Neapolitanis templis edidit. Ioannes tamen Villanus, Vrnā cum cineribus Mantuanis petentibus Neapolitanos concessisse asserit. Inepti sanè fuissent. Aliqui, Longobardos Canonicos sustulisse fatentur. Idemq. Episcopus affirmabat, Vrnā, columnas, & parua quaedam simulacra à Cardinali Mantuano, Canonicoꝝ patrono, ablata, ab eodemq. Genuae relicta, cū ibi in itinere obijisset. Quòd si aut Genuae, aut Mantuae tanti viri reliquiae essent, quo pacto ab earum ostentatione abstinerent? Mantuae inquam, vbi in nummis Virgilij, veluti Lesbij Sapphus, & Chij Homeri, effigiem cudendam curarunt. Illud quidem admiratione dignum inter parietinas illas Laurum creuisse, summi poetarum encomium. In antiquis monumentis hoc Epigramma repertum ferunt,

SISTE. VIATOR. QVAESO. PAVCA. LEGI-
TO. HIC. MARO. SITVS. EST.

In lapide hoc sculptum,

Quae Cineris tumulo haec vestigia? conditur olim.

Ille hoc qui cecinit pascua, rura, duces.

Haec item fuerunt adscripta,

Quòd scissus tumulus, quòd fracta sit urna, quid inde?

Sat celebris locus nomine Vatis erit

Anno ab V. C. 684. Idib. Octob. in pago Ande non procul à Mantua Vates natus est. hinc Silius,

Lib. 8.

Mantua Musarum domus atque vbera cantus

Excelsa Andino —————

sic enim legendum, non, *Achiuo*; Cremonae educatus, ad septimum aetatis annum Mediolanū, indè Neapolim profectus

fectus, vbi cū Graecis, Latinisq. litteris operam dedisset, Mathematicis tandem & Medicinae indulgit. Ibiq. suauissimè vixit, & obiit. Seruius sepultum fuisse scribit ad 11. lapidem cryptam Pausilypanam versus. Vmbra per nemus illud Poetae cerni solitam, fabulosè aliqui crediderunt. M. Antonius Flaminius,

Tu ne sacrum felix aluisti terra Maronem?

Tu ne pias celas ossa beata sinu?

An ne etiam, ut fama est, Vatis placidissima saepe

Inter odoratum cernitur umbra nemus?

Felices oculi, fortunatissima silua

Et quicquid sancto cernitur in nemore.

Cui non sit dulci patria tua dulcior ora?

Quis non te lucis praeferet Elysus.

Ad quod allusit Hieronymus Fracastorius in Siphili,

Parthenope placidusq. cauo Sebetus ab antro

Plauserunt, umbraeq. sacri manesq. Maronis.

Et Pontanus in Hortis Hesperidum,

Floreat Vrba tui qua conditur Vrba Maronis.

Nemus ad mansuetiores Musas fuisse accommodatum, scripta ostendunt, ibi enim τὰ γεωργικὰ, & βουκολικὰ confecit. Locum à Silio Italico emptum innuit Martialis,

Silius haec magni celebrat monumenta Maronis

Iugera facundi qui Ciceronis habet.

Heredem, dominumq. sui tumuliq. larisq.

Non alium mallet nec Maro, nec Cicero.

Lib. 3.

Plinius secundus, Neapolitanum Silij, appellatum scribit. Patulcidem quoque appellarunt quòd fortasse Patulci ibi essent aedificia, quae describit lapis ille celeberrimus in quo est agrorū sententia, quem libro primo Neapolitanae historiae posui. Haec praeter alia leguntur, LOCI VERO SIVE AGRI QVEM ADIACENTEM AEDIFICIIS AELIVS ABASCANTVS PATER RVFINI AB HAEREDIBVS PATVLCI DIOCLETIS AEQVE MERCA-

TVS

TVS EST. Vbi multa de Sepulcrorum ratione. Coeterrum tota illa ora Pausilypana sepulcris referta est, loculis in scopulis excauatis. quapropter totus ager sepulcris dictus videbatur. Et cum locus Antiniano colli sit proximus, Pontanus Patulcidem Nympham. Cum Antiniana Nympha poeticè coniungit,

———— tuq. ò mihi chara Patulcis

Prima adsis, primosq. mihi Dea collige flores,

Impleat ut socios tecum Antiniana quasillos.

Patrusculum montem vulgus appellat.

Sannazarij sepulcrum.

Quos locus, virtusq. coniunxit, disiungere nefas est. Ad Pausilypi radices Mergellinam veneramur. Villa est quam Federici Regis munere & liberalitate Iacobus Sannazarius possidebat, in qua tum alia, tum lectissimas Eclogas piscatorias, dum pisces mergerentur (hinc Mergellinae nomen) composuit. Doctorum quoque virorum opinio est sic dictam quòd contrà Megarim, veluti apud Megarenses scopulus Mineruae Aethyiae (quae vox Mergum apud Graecos significat) commemoratur à Pausania in Atticis, ut Graecos imitatus doctissimus poeta qui omnia studia Mineruae addixerat, celebrioribus eorum locis uti velle videretur. Est autem Megaris parua insula, quam Ovi castrum dicunt. Turrim ex qua latissimè maris prospectus patebat, Philibertus Dux deturbendam iussit dum ipse Vates Federicum Regem in Galliam fuerat sequutus, vbi dolore Aragoniae domus (ut ait Paulus Iouius) funditus euerfae, & odio in externos factus amarior aliquantò, condendae Satyrae, quàm pungendis heroicis aptior videbatur. Moerore itaque affectum hac de causa interiisse affirmant anno 1533. & antè mortem dixisse; *Excedam è vita hoc meo non inani voto laetus, postquam barbarus Musarum hostis, ultore Marte, immanis iniuriae poenas persoluit.*

Tem-

*Familia Ser-
uorum.*

*Ioannes Mo-
ntursulus.*

Templū ibi aedificauit Actius anno 1510. Virginis Par-
tūdicatum cuius etiā laudes eximias cecinit suo illo poe-
mate ex quo plurimum laudis sibi comparatum viuens
existimauit, cū tamen mortuo vota non successerint, quan-
dō ex Arcadicis illis ludicris scriptis, quibus vulgus ho-
minum cui seria displicent maximē est delectatum, poetae
nomen doctissimo viro videtur esse acquisitū. Familiam Ser-
uorum in id templum introduxit anno 1524. qui à Philip-
po Florentino medico Anachoreta fuerunt instituti. Eius
ibi sepulcrum nitidiore marmore quā Parium, sculpturae
opus eximium profert. Ad viuum eius efficta imago, ex cu-
ius ore mella exurgere videntur apes. Apollinis & Miner-
uae signa quae tamen sacro nomine mutarunt Iuditham &
Dauidem appellantes, ne sacer ille locus Ethnicorum si-
mulacris videretur prophanari. Sculpsit Frater Ioannes
Montursulus Seruita, qui ad Florentiam in pago quodam
ortus fuerat, Frācischi Taddae socius qui in Carrarae mon-
tibus marmora diligentissimē scalpebat; atque indē opus
perfectum Neapolim detulit. Duo etiam signa, alterum
D. Iacobi Apostoli, alterum D. Nazari. Praeter tabulas
pictas & Pistoriensis cum Michaelē Archangelo, & Theo-
dori cum coena Dominica cum picturae maxima laude.

Petrus Bembus Cardinalis amplissimus doctissimusq. tu-
mulo hoc inscripsit epigramma,

*Da sacro cineri flores. Hic ille Maroni
Vicinus Musa, proximus ut tumulo.*

VIXIT. AN. LXXII. A. D. M. D. XXX.

Viuens hoc distichum confecerat Sannazarius ipse,

*Actias hic situs est, cineres gaudete sepulti,
Iam vaga post obitus umbra dolore vrcat.*

Id quod poetico more dixit, non quod à Christiano cul-
tu Christianus eques abhorreret, vt obtrectatores & in-
uidi obiecerant. Huiusmodi etiam in illo epigrammate lo-
quutum scimus,

Post

Post obitum non vlla mihi charchesia ponet

Aeacus, infernis non viret vna iugis,

poetico lusu alios aemulatum. Quo pacto enim temerè loqui poterat, is qui de Verbo, Virgineq. tam sincerè loquutus fuerat? Testatur id ipse verbis quae ad Clemētem VII. scripsit,

Magne parens, custosq. hominum cui ius datur uni

Claudere coelestes, & referare fores;

Occurrunt si qua in nostris malè firma labellis,

Deleat errores aequalitura meos.

Imperijs, venerande, tuis submittimus illos,

Nam sine te recta non licet ire via.

Et Sixtus Senensis hoc encomio eum celebrat; *Vir ad illu-* Lib. 4. Bibl.
strandam sacrosanctam Christianorum poesim felicissimo sidere
natus. Ut tandem fileant grammaticuli terrae filij.

Hoc templum eo quem Sannazarius legauit redditu, familiam retinet. Auctum aedibus à Ioanne Camillo Mormili ipsius herede, auctū praeterea à Ioanne Simone Moccia, qui viuens tantū hereditatem sequitur, post multos annos moriens heredibus Antonij Mormilis concessurus.

In eius loci littore mare semper adeò tranquillum, vt domus, rupes, frondes, coelum ipsum in vndis splendidè iacentibus transpareant. Nec venti fremunt, nec aestu turbantur vndae. Pontanus in Hortis,

Lib. 2.

Qualem praerupti sub vertice montis, adeso

Littore, secessu in molli, sub rupe cauata

Et Baccho felix, felix Amathuside Myrto

Frondenti, e Lauro Neptunia Mergelline

Laeta colit, non aestus eam, non frigora tentant.

Aquarum dulcium scaturigines in ipsa arena,

— & è terris occurrit dulcis amaro

Nympha mari —

Fontes quibus aquae pluuiæ colliguntur in imbres, inter opaca citriorum nemora, varijs casibus, hydraulico sonitu prorumpunt in hortis Ioānis Bernardini Longi medici

*In Luculi.
quaest.*

& philosophi peritissimi, qui dùm haec scriberem in aeternas sedes euolauit. Hortos alij pensiles aedificarunt. Antonij Sanseuerini amoenissimos recessus celebrat Bartholomaeus Maranta. Sed his verbis Flaminius,

*Si mihi post tantos terrae marisque labores
Contigerit vestrae limina adire Deae,
Limina quae Vates specula fundauit in alta
Actius Eois clarus & Hesperijis,
Hic ego pilcolum figam, & calcaria, & enses,
Et quaecunque vagus arma viator habet.*

NESIS INSULA ET EUPLOEA.

Cap. XXXV.



Lib. 16. ep. 17

CCVRRIT Puteolos proficiscentibus Nesis, quam non Insulam, sed continentem fuisse facile arbitrarer, quin & Paufilypi promontorium, nisi Ciceronis locus ex x. Philippica apertè insulam ostenderet, sic enim de Bruto ait; *At hunc ipsis ludorum diebus videbam in insula clarissimi adolescentis Luculli propinqui sui.* Et hanc, insulam Nesidem fuisse ad Atticum scribens declarat; *Bruto tuae litterae gratae erant, fui enim apud illum multas horas in Neside, cum paulò antè tuas litteras accepissem.* Et epistola 3. eiusdem libri; *Haec ego conscendens è Pompeiano tribus actuariolis, decem scalmis Brutus erat in Neside, etiam nunc Neapoli Cassius.* Ecce tibi insulam, & in Luculli potestate. Nomē idipsum declarat, *Nesis* enim paruum insulam significat.

Lib. 19. c. 8.

Lib. 6.

Plinius Nesidis asparagum laudat: Lucanus & Papinius tetrum loco tribuunt aërem. Alter,

*— tali spiramine Nesis
Antraq. letiferi rabiem Typhonis anhelant.*

Alter

Alter verò, _____ indè malignum.

Silu. 3.

Aëra respirat pelago circumflua Nefis.

Et Nefis, non Nessus, legendum. quid enim Centauro cum insula, cum praecipuè Inarimem adiungat? Vicina loca adhuc coeli grauitate occupantur. Insula tamen excisis filuis, sub clemèti coelo hac aetate videtur posita. Quam filuam commemorat Statius,

Siluaq. quae fixam pelago Nesida coronat.

Quidam tamen in Itinerario,

Post hanc asparagis plenam Nesida videmus,

Pars haec Pausilypi quondam, maris insula nunc est.

Multos ibi seruat furtiua Cuniculus antra,

Antra Typhoneos quondam spirantia fumos,

Et circa Eumenidum nebuloso tristia luco.

Locum fabulae dedit Sannazarius,

Te quoque formosa captum Nesidis amore

Pausilype irato compellat ab aequore quaestu.

Pontanus dùm Nympham describit, maris in quo posita est proprietates narrat,

Illum Nisa tenet deserti ad littoris algam

Nigra genu, croceisq. genis & lumine glauco.

Parua quidem insula, mille & quingentorū passuum ambitu, Amalphitanorum Ducum habitatione nobilis. Ab Alphonso Piccolomineo primo loco tribus millibus & quingentis aureis coëmpta, in qua tamen grandis pecunia, celebrandis conuiujs consumpta est. A Piccolomineis ad Scyllacensium Principem, à quo ad Neapolitanam ciuitatem, indè a Conchanorū Principem, mox iterum ad Neapolitanam ciuitatem lite licet cohorta. Portu Pauone qui ad meridiem vergit, Cuniculorum copia, Phasianorum olim volatu, & oleis, & vinea, & fructibus, & piscatione illustris. Omnibus nauigantibus ob tutissimam nauium stationem cognita. Arx in ea rotunda est, quae vndique prospecta, speculatrix tota illa ora colitur. Nec displiceret si

quis dixerit hanc insulam Graecorum aetate Nisaeam appellatam fuisse, cum longè Megaris quoque insula extet, cumq. Athenienses eius nominis Insulas inter se proximas plurimum fecerint.

E V P L O E A, parua quoque insula (scopulus potius) inter Tyrrheni maris insulas meruit annumerari. Et quoniam ibi reconditus sinus est, ex quo maris aestus, & vndarum tempestates detruduntur, Gaiolam dixere. Gratissimus nauigantibus recessus. Nobilissimus itidem aedificiorum vestigijs quae ciuitatem referunt, & omnem antiquitatis gloriam redolent. *Felix omen* locum appellauit Statius in siluis,

Lib. 2. Silu.

Indè vagis omen felix Euploea carinis

Et in Hercule Surrentino, Numen,

Et placidus Limon, Numenq. Euploea carinis.

Quae verba efficiunt vt credam, templum cuius aliquot ibi sunt ruinae, Euplocae numini marino fuisse dicatum. At verò Veneris Euplocae numen illud erat. Veneris enim aedem mari proximam Graeci venerabantur, veluti in Atticis scribit Pausanias, apud Gnidios praesertim, qui Venerem Doritidem, Acream, & Gnidiam colebant, & hanc ipsam ab iisdem Gnidijs Euploeam appellatam affirmat, *πρώτατον δὲ, ὡς Κνιδίαν οἱ πολλοὶ, Κνίδιοι δὲ αὐτοὶ καλοῦσιν Εὐπλοίαν.* Sannazarius Nympham facit,

— totidem vitreis Euploea sub vndis

Seruat, adhuc plures Nefis mihi seruat Echinos.

Vitreas illas vndas, & algarum cōfertissimos hortos, manu tractare ne pigeat dùm praeternauigaueris.



VNDIQUE PUTEOLOS GENTES

conueniunt.

Cap. XXXVI.



VOCARVNT tandem ad sese Puteoli ex toto orbe summos viros, qui miraculorum insigni admiratione irretiti, in posteros deindè eos vidèdi cupiditatem profunderent. Quid ergò recensebimus antè Imperium Annibalem (Athenienses Duces antè ea tempora praetereo) quo cum Poena quoque nobilitas & Hispana confluit? Quid in Imperio maximorum Principum habitationem, exterorum ad eos quotidie praeclaras legationes? Graecorum Imperatorum accessus, quis enim aut Constantinum, aut Constantem ab eorum locorum aspectu reuocasset? Gotthorum, Longobardorum Reges, Duces, Exarchos nobilissimos illos viros Patricios, qui in Italiam venientes Puteolos maximo desiderio inuiserunt? Cui nam ex Gallia aduentanti dùm Gallorum res in hoc Regno maximè flourerent, aut ex Germania, cum Regni quoque fasces Imperatores obtinerent, Puteolanae non patuerunt rupes, antra, parietinae, Balnea, sulphura, ignes? Quis in eius littoris non confedit alga? ex ea arena non collegit, non osculatus est, non seruauit Conchyliis, lapillos, numismata? Vt tunc se beatum aliquis existimauerit, cùm Puteolis in patriam rude aliquod eius loci monumentum portauerit. Adhuc Germanos, Gallos, Belgas coeterosq. omnes inuitant, vt singulis diebus summi Proceres, & vulgus omne cum primùm Neapolitanas delicias gustauerint, nihil sibi antiquius faciendum existiment quàm Puteolos accedere, terra marique colles, antiquitates, littora perlustrare. Locupletantur eorum pecunia locorum indices qui venientium obseruatores

uatores, aliquandò Neapoli quoque excipiunt. Plurimum commoditatis afferunt hospicio; oppidumq. frequentissimum reddunt. Quantum vtilitatis allatum Gallorū & Aragonaeorum domicilio, Regia ibi ferè semper constituta? Quantum ex Neapolitanorum Proregum consuetudine, qui non tantum ex Hispania eò primùm appulere, sed delicias postea ea sibi elegerunt loca in quibus nunquam Petri è Toletò praecipuè hortis, aedibus, fontibus, statuis, fama erit interitura? Quantum Eduardi Fortunati Badësis Marchionis aduëtu, Gristani Ducis Saxoniae anno 1592. Maximiliani Ducis Bauariae anno 93. Ioānis Comitis Gourensis ex Scotia, anno 96. Augustoiunioris Ducis Lininburgensis anno 1600. Bruni Comitis Mansfeltij, Ioannis Federici Ducis Vircenbergësis, Aloysij Ducis Anheltenensis anno 1601. Philippi Iulij Ducis Pomeraniae anno 1602. Ioānis Comitis de Nellau, Henrici Domini de Bohan Gallorum Regis nepotis, & Henrici Marchionis Boniuitensis anno 1604. Quantum denique Vincentij Gonzagae Mantuanorum Ducis praesentia, quem augustissimū Principem inter Augustos Baianae obstrepentes vndae, Puteolana ardentia compita salutarunt dùm Neapoli esset accipiendus? Magni sanè Puteoli. Sed cum Vincentio Gonzaga, Puteolis nihil maius, cum Gabriele Zinano vidimus.

Finis Puteolanae Historiae.



ADDITIONES.

Pagina 20. Cum de Neptuno loquimur. adde. Hunc lapidem ibi reperimus.

D. M. M. VALERIVS. DEXTER. LIB. NEPTVNO. MANIPVLARIS. C. CALBISIVS. CEREALIS. IIII. DACI. COHERES.

Pag. 45. in fine. Nicolaus de Ariano Puteolanus cum Capuae habitaret, primus in fluuio Castrimaris ad Vulturnum lintribus et scaphis Capuam versus nauigandi modum reperit; quamobrem à Ladislao Rege Consul donec viueret creatus est anno 1393.

Pag. 49. vers. 24. Arthemias nobili genere natus, in ipsa scilicet Puteol. ciuitate.

Pag. 74. ver. 32. Veteres scribebant vel stilis, vel calamis; quia autem σιδεροφρεῖν non licebat, & stilis, & calamis ad necem inferendam abutebantur. Sed illis frequentius. In historia Ecclesiastica & apud Prudentium multos martyres graphijs confossis animam Deo reddidisse legimus. Et apud Plutarchum in Gracchis perit Antyllus quidam, γραφείοις μεγάλοις κεντούμενος. Isidorus refert cautum aliquando Romae ne ferrea graphia quisquam haberet, sed offea. Euagrius lib. 3. Stephanum Antiochiae Episcopum à pueris interemptum καλέμοις ἰσα δόρασιν ὀξουθεῖσι.

Pag. 81. ver. 23. Angelus Episcopus Puteolanus, anno 1278. ex Archiepiuo S. Laurentij in Aversa vrbe.

Ibid. ver. 14. Puteolanus & Cumanus Episcopi, interfuere consecrationi Ecclesiae S. Gregorij Neapoli, à Sergio Neapolitano Archiepiscopo celebratae anno 1187.

Pag. 96. vers. 10. De scrophatamen, sic Aurelius victor; Quippe meminerat Venerem sibi aliquando praedixisse (de Aenea loquitur) cum in externo littore esurie compulsi, sacratasq. mensas inuasissent, illum condendae sedis fatalem locum fore. Scrophata etiam iacentem; quam cum è naui produxissent vt eam immolarent, & se ministrorum manibus eripuisset, recordatum Aeneam quod aliquando ei responsum esset, vrbi condendae quadrupedem futuram Ducem. affert auctores Caesarem lib. 1 et Lucatium lib. 2.

Pag. 100. ver. 30. Aurelius victor aliquorum refert opinionem, qui dixere Aeneam ab Euxinio sinu inter Misenum & Auernum comperisse Sibyllam mortalibus futura praecinere in oppido quod vocabatur Cimbarionis, ibiq. de statu fortunarum suarum sciscitatum, aditisquè fatis vetitum ne is cognitam in Italia sepeliret Prochylam

Prochyta cognatione sibi coniunctam. *Volcacium*, & *Asilium* *Pisonem* affert auctores.

Pag. 121. ver. 13. *Gilbertus Mompenserius* ex *Borbonica* familia à *Carolo VIII.* Dux creatus est qui primum Regij exercitus agmen duceret. Cū Rege *Neapolitano* Regno potiundo interfuit, ibiq. *Vicarius* relictus est. Post aliquot menses cū *Aragonei* Regnum recuperassent, *Mompenserius* cum reliquis *Gallis* *Baia* profectus est, ubi aëris inclementia percitus Dux obiit & ex *Gallis* qui ad quinque millia fuerāt, vix quingenti superfuere. Regni cupiditate ductus *Ludouicus XII.* anno 1501. *Neapolim* exercitum misit. inter coeteros, unus ex *Mompenserij* filijs venit. Is *Puteolos* accedens ut *Paternum* sepulcrum inuiseret, summo dolore affectus, post multas lacrimas, mortuus in idem sepulcrum decidit. *Guicciardinus* lib. 5. Hist.

Pag. 128. ver. 12. *Sextus Aurelius Caesar* in *Pontificalibus* citat lib. 1. Qui *Misenum* non gubernatorem sed tubicinem fuisse tradit, ideoq. *Maronem* utramque opinionem sequutum dixisse,

remumq. tubamq.

quamuis auctore *Homero* quidam asserant tubae usum *Troianis* temporibus etiam tunc ignoratum. *Misenon* urbem a *Miseni* sepulcro dictam.

Pag. 136. vers. 23. *Maximus Episcopus Misenas* in *Concilio Romano* sub *Martino I.* anno 650.

Ibid. ver. 27. *Concordius Episcopus Misenas* in *Concilio Romano* sub *Symmacho*. *Agnellus Episcopus Misenas* subscripsit *Epistolae synodali Agathonis Pontificis*, hoc pacto; *Agnellus Episcopus Ecclesiae Misenatae* prouinciae *Campaniae*.

Pag. 180. ver. 17. *Destructa Cumana ciuitate*, eius *Ecclesia Neapolitanae* cum omnibus iuribus fuit unita, ut ex *Aetlis Caroli I.* qui singulis annis *Neapolitano Archiepiscopo* fructuum decimas quas *Reges* ex agro *Cumano* excipiebant, & ad *Cumanam Ecclesiam* antea spectabant, exsolui iussit anno 1277. Ex *Inuentario bonorum Ecclesiae Neapolitanae* Regum iussu conscripto, cū *Alexander Carrafa Neap. Ecclesiae* praeesset, haec leguntur; Item tenet idem *Archiepiscopus* in *Cumis Ecclesiam Cumanam* cum infrascriptis iuribus & possessionibus, &c. Inter suffraganeos *Neapolitanae Ecclesiae* Episcopos, *Cumanus* quoque numeratur. *Prouinciale omnium Ecclesiarum*, quod à libro *Cancellariae Apostolicae* deductum est; quod confirmat *Antonius Monchiaceus Democares* lib. 3. c. 15. de sacrif. *Missae*.

BALNEARVM

QVAE

NEAPOLI, PVTEOLIS, BAIIS,

Pithecusis extant, virtutes.

THERMARVM, ET BALNEARVM

apud antiquos structurae, vsus, ministeria.

Ad aegrorum commoda.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

Cardinalem

MONTELPARVM.



NEAPOLI,

Apud Constantinum Vitalem. MDCIV.

BALNEVM

NEAPOLITANVM

THEATRI

AD ILVSTRIS ET REVERENDISS.

MONITVM

AD ILVSTRIS ET REVERENDISS.

MONITVM

AD ILVSTRIS ET REVERENDISS.

MONITVM

AD ILVSTRIS ET REVERENDISS.

MONITVM

AD ILVSTRIS ET REVERENDISS.

MONITVM

AD ILVSTRIS ET REVERENDISS.

MONITVM

AD ILVSTRIS ET REVERENDISS.

MONITVM

AD ILVSTRIS ET REVERENDISS.

MONITVM

AD ILVSTRIS ET REVERENDISS.

MONITVM

AD ILVSTRIS ET REVERENDISS.

MONITVM

AD ILVSTRIS ET REVERENDISS.



ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

GREGORIO PETROCHINO

S. R. E. CARDINALI AMPLISS.

PATRONO MAXIMO.

IVLIVS CAESAR CAPACIVS S.



UTEOLANA regio (Princeps Illustrissime) naturae diuitijs affluens, balnearum, thermarumq. copia ex quibus veluti ex promptuario corporum salus elicitur, felicissima habenda est.

Quod cum Salernitani medici, ut fama percrebuit labefactarunt, ultimam Puteolanis iniuriam intulere. Ea tamen non toleranda, quod scriptorū inopia earum aquarum virtutes prorsus ignoramus. Vetus auctor scripsit aliqua ut ea tempora tulerant, quae visa sunt coeteris lumen praetulisse. Dicauit ea Franciscus Aretinus Pio II. Summo Pontifici, quae ab Ioanne Elisio medico Neapolitano fuerunt repetita, licet antea Matthaeus de Plantimone Salernitanus de iisdem scripserit. Multa adnotauit Joannes Franciscus Lōbardus Neapolitanae Ecclesiae Canonicus in quo tūm linguarum, tūm disciplinarum lumina elucent. Addidit plura Baccius Romanus cuius laboribus cultius quā Ro-

manorū opibus thermæ sunt exornatæ. At verò ex scri-
 ptore ab Aretino in lucem reuocato quasi ex capite à po-
 sterioribus scriptoribus duos poetas, Alcadinū Siculum,
 & Eustasium Materanum somniādo deduxerunt, nun-
 quam enim ea quæ circumferuntur ab ijs scripta sunt,
 sed ab Ebolitano quodam (nō Euboico) qui Federico Re-
 gi opus illud dicauerat, id quod apud me testatur manu-
 scriptus codex, quem Joannes Simeon Moccia totius an-
 tiquitatis arbiter, ex naufragio librorum Joannis Anto-
 nij Pisani celeberrimi nostra ætate medici seruauit, &
 quem hoc libro typis mandandum curauit. Debent tamen
 aliquid Puteoli Michaeli Sauanarolæ, Ugolino de
 Montecatino, & Mengo Fauentino aliquorum Italiae
 Principum medicis, qui pauca de eius loci balneis memi-
 nerunt, cū coetera Italiae balnea illustrauerint. Debent
 mihi aliquid, qui cōfragosas earum rupes virtutum me-
 moria, antiquitatis nobilitate, variarum gentium usu
 conatus sum exornare. Tuo numini non balneas à quibus
 incolumitas te semper arceat, sed hanc in tuam amplitu-
 dinem animi mei propensionem dicare libuit, seruet enim
 vt in thermis amor in te meus & obseruātia, cuius neq;
 mors flammæ restinguet. Dicare, inquam, me totum,
 liberos, domum libuit, vt ex tuæ humanitatis candore
 hunc laudis fructum extorqueam, quòd absens impensa
 voluntate & memoria à me coli internoscas. Vale Car-
 dinalis amplissime, sacri Senatus splendor, & Roma-
 nae exemplar Maiestatis. Neap. Cal. Aug. 1604.

DE BALNEIS LIBER.

SACRAE BALNEAE. Cap. 1.



QVAM rerum omnium originem Thales existimavit, quòd veluti Heraclitus in ignem corpora resolui, sic in humorem ipse pronunciauit. In vulgus ea dimanauit opinio atque ità vt poeticè canerent,

Ἀριστον μὲν ὕδωρ

Optima quidem aqua

quae verba Pindarus praeter coeteros grandiloquus, ve- In Olymp.
luti secretioris materiae titulum suo praeposuit poemati.

Homerum quoq; ferè diuinum, aquas ideò plurimum alere Lib. x.
cecinisse scribit Athenaeus. Hinc maxima veterum in aquis
superstitio. Si quis enim corpus aqua abluisset, peccato-
rum quoque lue ablutum arbitrabantur, quod expressit
Euripides,

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνδρῶν κακὰ

Abstergit mare omnes hominum culpas.

quapropter & ῥυπτικὸν ὕδατος, *Aspergentis aquae*, arbitror Ho-
merum meminisse. Paulatim tantum creuit opinio, vt laua-
cris imprimis vti optimum & relligiosum iudicaret. Nollem
intermiscere quae Mystae in aquis creationis initio, *super*
quas Spiritus Domini ferebatur, praedicarunt. Id quod aliae
traductiones patefecerunt quibus & *Fouere*, & *Incubare*, Aquarum sa-
crarum my-
steria.
Deum aquis, scripsere. Quod etiam ad Regenerationis la-
uacrum indè apud Christianos esse translatum nemo ambi-
git; quapropter flumen ex maceriae cauernis prorumpens,
vberriimos latices in Caluarij fonte coegit, quibus Ecclesia
irrigata, foecundas gloriae & maiestatis virtutes toto ter-
rarum orbe diffudit. Atqui sacrarum rerum indagatores
Hebraeorum mysteria quae ex aquis emanabant ostendere
conati

conati sunt in amplissimo illo Salomonis opere in quo Mare fusile in rotundo labio quod x i i. boues sustinebant, & posteriora celantes, absconditas rerum causas aperire videbantur. Hinc aquarum elogium in quas proiectus est Moyses diuina mysteria accepturus. Hinc & Virgae symbolum quae ex petra aquarum fluenta elicuit, qua corporis sitim sedarunt, quemadmodum spiritus sitim gentes erant sedaturae. Et Dei viuentis aquarum fontes & putei, ex quibus quòd abdita multa dedicerint, aquarum celebritates promulgarunt. Quid putas inesse virtutis in vtre illo Agarico, in Cisterna Daudica, in Rachelis puteo? At verò procul este prophani; earum aquarum sanctitas cum balneis non est inferenda. Haec innuere sacrae balneae coegerunt.

Lib. 3. eleg. x.

Poetae sacras quoque dixere. Tibullus,

Nunc autem sacris Baiarum maxima lymphis.

Cur aquae
sacrae.

Aristoteles sua aetate celebre dictū proponit, *Sacras balneas*; qui tamen quae ad diuinorum rationem spectant cum non intelligeret, dixit ea de causa sacras appellari, quòd in defluxu fluminum flāmas & sulphura elambunt. Et Plutarchus in Problematibus admirari se ait aquas calidas nasci, non autem mirari frigidum fontem; quamobrem aliquid sacrum continere videntur. Idemq. arbitrati sunt qui ob calorem terrestrem aquis insitum, Vulcanias dixerunt.

Aquae Vul-
caniae.

Neptuno item sacras fecere aquas, Nymphisq. & quae sulphur olent Mephiti, quod numen marem alij & connexum Leucotoae veluti Veneri Adonis, aut Dianae Virbius, alij feminam faciunt, & Iunonem esse asserunt. quae quoniam Aër est, corruptionem aëris, Mephitim dicunt & putorem, quod aquae genus vbiq; Puteolis reperitur. Apollo Thermites à Syracusanis adorabatur, & Strabo de Thermophyllis loquens, καὶ Θερμοφυλλας (inquit) ἐστὶ γὰρ καὶ θερμὰ πλησίον ὕδατα τιμώμενα ὡς Ἡρακλέους ἱερὰ; *Ac Thermophylae à calidis lauacris quae vicina sunt, & Herculi sacra habentur.* Albulas in Italia Iciae sacras legimus, Veronenses Iunoni, Clusinas Aesculapio,

Mephitis.

Lib. 9.

Lati-

Latinas Iuturnae, Auernas Plutoni, Cumanas Sibyllae.

Dicerem hanc aquarū sanctitatem veteres Romanos esse veneratos quandò aquae calidae potus in coenis fuisse adhibitos docet Seneca; *Iraſcuntur boni viri pro ſuorum iniurijs; ſed idem faciunt ſi calida non bene praebeatur, ſi vitrum fractum*, &c. & Martialis,

De ira. lib. 1. cap. 12.

Caldam poſcis aquam, ſed nondum frigida venit,

Alget adhuc nudo clauſa eulina foco.

Sed praecipuè Paulus Iuriſconſultus; *Nec multum reſert inter cacabos & aënum quod ſuprà focum pendet. hiſ aqua ad potandum caleſcit; in illis pulmentarium coquitur.* Doctiſſimus autem Varro lib. 4. ſcribit Calicem à caldo dici, quòd in eo calida pulſ apponebatur, & calidam eo bibebant. Plautus in Rudente Thermopolium appellare videtur cauponam in qua venibat calida. Et Caligula Cauponē interfecit quòd per dies funeris Drufillae calidam vendidiſſet. Quocircà voluptatis potum videtur innuere, idemq. confirmat Philo, qui aquam frigidam coeteris datam, calidam ſenioribus ſcribit. Et Tiberius, Biberius, Caldus, Mero dictus eſt, quòd aquae calidae potui nimis indulgeret. Qua de re plura collegit Lipſius in Electis. Hunc morem Iaponenſes ſeruaviſſe vidimus qui ad Gregorium x i i i. Summum Pontificem Legati miſſi ſunt, qui praeter voluptatem aliquid in ea ſuperſtitionis collocant.

Leg. 18. de inſtr. & iuſt. leg.

De vita theoretica.

BALNEARVM VSVS. Cap. II.



BALNEARVM vſum vetuſtiſſimum videtur innuere Homerus, qui earum delicias Vlyſſi proponit,

Lib. 3. Odyſſ.

Αἰεὶ δ' ἡμῖν τε φίλη καθαρίστε χοροῖ τε

Εἶματα, τ' ἐξημοιράτε θερμὰ, καὶ ἐννα;

Semper à nobis conuiuiumq. gratum, citbaraq. choriq.

Vestefq. mutatoriae, & lauacra calida, & cubilia.

Et

Lib. 13. Odyss. Et Penelope Eurynomen alloquitur,

Εὐρυνόμη, μὴ ταῦτα παράυδα κηδομένη περ
 χρῶτ' ἀπονίπτεις, καὶ ἐπιχρίεις ἀλοιφῇ,
 Eurynome, non haec loquere dolens, licet
 Corpusq. lavare, & ungere unguento.

Lib. 1.

Hinc Agamemnonias legimus Thermas, & Achilleas apud Cassiodorum. Et voluptati deditam vitam Pheacum scribit Athenaeus, qui & Mercurium Caliphus domicilium ob haec illecebras fuisse admiratum affirmat. Apud eundem Eurypilus vulnera fouet, & perfundit aqua calida, quae dolorem mitigat, & placat cruciatus, & quāvis apud illum τὸ λειρὸν comperies, quod tepidam aquam significat, idem tamen est quod θερμόν, calida. Putat quoque Athenaeus tepidam esse, ex qua vapor igneus, fumusq. feruens exhalat.

Lib. 1. Silu.

Thucidides à Laconibus vsum balnearū initium habuisse scribit, qui primi post luctarū pulverem lauari coeperunt, cum antea ad ludos Olympicos linteo amictu succincti, in luctam descenderent, & Romae post gladiatoria munera obseruarunt. Et agonalibus laboribus vsui fuisse explicat Papinius,

—— Neronea qui modo lotus in onda —

Hic iterum sudare negat ———

Et Neronianae Thermae iuxta Agonalem Circum erant. Ideo Thermarum amplitudinem cernimus post angustas illas & tenebricosas, quales ad Linternum Scipionis Africani Thermas describit Seneca ad Lucillum. Et Palaestrae ijs fuerunt adiunctae, veluti Neronianae Thermae ostendunt quae cum Theatro coniunguntur. Idq. deindè semper obseruatum, ut vbi Theatra, ibi quoque Thermae essent. Et dedicato Amphitheatro Vespasianus Thermas celeberrimas extrussit ad exercitationis commoditatem in ludis. Syris aliqui initium tribuunt, Medis alij, alij Aegyptijs, licet ad delicias quoque ab ijs balneas institutas constet,

stet, proptereaquòd in Palaeſtina Balneas, Natatoria, Piscinas, addo etiam conuiuia, coluerunt. Et Piscinas ab Herode in Augusti gratiam augustissimè conditas commemorat Iosephus.

Quisque tamen fuerit qui lauacra inuenit, eam posteris opinionem reliquit, vt omnem curam omnemq. ornatum ijs adhibere voluerint, & Aedilitiae cognitionis erat Thermis consulere, ne scilicet immundae essent, & ne nimis aestuarent. Tùm primis originibus cùm paucae essent Balneae & nullius cultus, vt loquitur Seneca, quid enim ornaretur res quadrantaria, à quadrante qui Balneatoribus dari solebat? & Romani rarò lauarent, & brachia & crura tantùm labore fatigati abluerent, & toti in Nundinis lauarent; & quamuis haec scribat Athenaeus, *προσφάτως δὲ καὶ τὰ Βαλανεῖα παρήκτε, πλω' ἀρχῇ οὐδὲ ἐν δυν τῆς πόλεως ἑόντων εἶναι αὐτὰ;* *Nuper quidem Balnea in usum venerunt, quae principio inter Urbis pomoeria aedificari non sinebant; & Antiphanem testem adducat,*

Epist. 86.

Lib. I.

Εἰς μακαρίαν τὸ λουθρὸς ὥς διεδικέμε
Εφθὲν κομιδὴ πεποίηκ' ἀποκναίσειεν ἄν
Καὶ ὅς τις οὖν μοῦ λαβόμενος, τοῦ δέρματος,
Οὕτω σερεὸν πρᾶγμα θερμὸν ἔδωξ' ὕδαρ;

In rem malam aufer Balneas. Horum incendia

Sic elixarunt corporis mei cutem,

Vt vulsam quiuis possit abradere,

Adeò violenta res est aqua feruida,

Et Hermippum duo detestantem mala, inebriari, & calida lauari, quae virum probum nullo modo decent; post aliquot tamen aetates Balneas & Thermas quàm plurimas exaedificarunt publicis, proprijs vsibus, magna mole & sumptu, Alexandrino & Numidico marmore, latis speculationibus, nobili coelatura & arte, quae plurimùm aduersari videbantur obscuris Balneis, & gregali tectorio indutis. Neque calidum videbatur antiquis nisi obscurum. Nec vlla Romae regio erat quin priuatas publicasq. Bal-

B

neas

neas & Thermas contineret, vt ad octingentas P. Victor huiusmodi distribuerit.

Balneae & Thermae Romanae.

In prima regione Balineum Torquati, Vectij Bolani, Marmertini, Abascantiani, Antiochiani. Thermae, Seuerianae, Commodianae. Balineae priuatae lxxxi. In secunda, Balineae priuatae. In tertia, Traiani Caesaris, Philippi Caesaris Balinea. Balineae priuatae lxxx. In quarta, Balineum Daphnidis. Balineae priuatae lxxv. In quinta, Lauacrum Agrippinae, Thermae Olympiades; Balineae priuatae lxxv. In sexta, Thermae Diocletianae, Constantinianae. Balinea Pauli. Balineae priuatae lxxv. In septima, Balineae priuatae lxxv. In octaua, Balineae priuatae lxxv. In nona, Thermae Adriani, Neronianae, Agrippae. In decima, Balineae priuatae xvi. In vndecima, Balineae priuatae xv. In duodecima, Thermae Antonianae. Balineae priuatae xliii. In tertiadecima, Thermae Varianae. Balineae priuatae lxxiii. In decimaquarta, Balineum Ampelidis, Priscillianae. Balineae priuatae lxxxvi.

Alibi xxi. Thermas scribit, Traiani, Titi, Agrippae, Syriacas, Commodianas, Seuerianas, Antonianas, Alexandrinas vel Neronianas, Diocletianas, Decianas, Constantinianas, Septimianas. De Titianis Iulius Capitolinus cum maximum in Senatu loquentem inducit; *Quid enim opus est de restitutione templorum, de Basilicae ornatu, de Thermis Titianis, de exaedificatione Amphitheatri agere, cum imminet Maximianus, & quae sequuntur.* De Antonini Caracallae Thermis sic Spartianus; *Opera Romae reliquit, Thermas nominis sui eximias, quarum cellam solearem Architecti negant posse vlla imitatione quae facta est fieri. Nam & ex aere vel cupro cancelli superpositi esse dicuntur quibus cameratio tota concredita est spaciū, vt idipsum fieri negent potuisse docti Mechanici in vsu maximè Romanae plebis frequentatae.* De Gordia-

nis

nis, Iulius Capitolinus; *Opera Gordiani Romae nulla extant; praeter quaedam Nymphaea & Balneas.* Traianas commemorat lapis,

IVLIVS. FELIX. CAMPANIANAS. V. C.
PRAEFFECTVS. VRBI. AD. AVGENDAM
THERMARVM. TRAIANARVM. GRATIAM
CONLOCAVIT.

Constantinus suas aedificauerat, quas tamen ferè deperditas Petronius Perpenna restituit

PETRONIVS. PERPENNA. MAGNVS. QVADRA-
TIANVS. V. C. ET. INL. PRAEF. VRB. CONSTAN-
TINIANAS. THERMAS. LONGA. INCVRIA. ET
ABOLENDAE. CIVILIS. VEL. POTIVS. FERA-
LIS. CLADIS. VASTATIONE. VEHEMENTER
ADFLICTAS. ITA. VT. AGNITIONEM. SVI. EX
OMNI. PARTE. PERDITA. DESPERATIONEM
CVNCTIS. REPARATIONIS. ADFERRENT. DE-
PVTO. AB. AMPLISSIMO ORDINE. PARVO
SVMP TV. QVANTVM. PVBLICAE. PATIEBAN-
TVR. ANGVSTIAE. AB EXTREMO. VINDICA-
VIT. OCCASV. ET. PROVISIONE. LARGIS-
SIMA. IN. PRISTINAM. FACIEM. SPLEN-
DOREM Q. RESTITVIT.

Alterum deindè Constantinum filium Rhenis Thermas ex Regio aerario desumpta pecunia liberaliter condidisse legimus in alio lapide,

IMP. CAESAR. FLAVIVS. CONSTANTINVS. MAX.
AVG. SEMPITERN. DIVI. CONSTANTINI. AVG.
F. TOTO. ORBE. VICTORIIS. SVIS. SEMPER
AC. FELICITER. CELEBRANDVS. THERMAS
FISCI. SVI. SVMP TV. A. FVNDAMENTIS. CAE-
PTAS. AC. PERACTAS. CIVITATI. SVAE. RHE-
MORVM. PRO. SOLITA. LIBERALITATE
LARGITVS. EST.

Quam etiam liberalitatis speciem alij Romanorum Imperatores in huiusmodi operibus ostentarunt, nihilq. se Ro-

manis gratius facere arbitrati sunt quàm his Thermarum delicijs eos irretire. Quapropter in Thermis Maximianis,

CONSTANTIUS. ET. MAXIMIANVS. INVICTI
AVG. SEVERVS. ET. MAXIMIANVS. CAESS.
THERMAS. ORNAVERVNT. AC. ROMANIS
SVIS. DEDICAVER.

De Felicibus Thermis Diocletianis, quas omni cultu perfectas maximè laudavit antiquitas, multa leguntur in Romano lapide. Constantius quoque & Iulianus Spoletinis Thermas igne consumptas sua largitate constituere. Meminerunt etiam lapides Thermarum Philippi Imperatoris,

L. RVBRIVS. GETA. CVR. P. CCC. XXIII.

D. N. PHILIPPI. AVG. THERM. . . .

Multos quoque priuatas Balneas gratis aedificasse scimus, & pecuniam ad eam rem legasse. At quidem tantum abest vt Roma Balneis carere potuerit, vt Alexander Seuerus eas omnibus Romanis regionibus addixerit quae non habebant, vt scribit Lápridius. Quare plures Balneas quàm priuata aedificia Romae conspicias. Vt autem Viátorem intelligamus, scito, veteres Balineum & Balneas, Balneum & Balneas dixisse. At Balineum & Balneum, publicum lauacrum aliquod; Balneas & Balneas priuata significare. Balnea praeterea dici in quibus lauamur; Thermas verò siccas quasdam cryptas (vt in littore Baiano) calidi aëris plenas, nam θερμή calorem significat, cùm Balineum dicatur ἀπὸ τῶν βαλάνων, à glandiũ corticibus; vel ἀπὸ τοῦ ἀποβάλλειν τὰς ἀνίας, quia curas repellunt. Et in Thermis calor sufficit, in Balneo etiam lauacrum includitur, licet Laconicum Balneum dicamus in quo solùm sudabant.

IMPERATORVM LUXVS IN

Balneis.

Cap. III.



NERONEM inusitatae luxuriae & sumptuum fuisse indè arguit Eutropius, quòd exemplo C. Caligulae in calidis vnguentis loco calidarum aquarum lauaret, ἐν ἐλουέτο μὲν γὰρ μύροις θερμοῖς μὲν ἀντὶ θερμῶν ὑδάτων; tantumq. honoris Balneis tribuit, vt

*Neronis usus
in balneis.
C. Caligula.*

exilio multauit Cecinam Tuscum qui lauisset in Balneo quod sibi venturo Alexandriam paratum fuerat. De Caligula, Suetonius ait, nepotinis sumptibus omnium prodigorum ingenia superasse, commentum nouum Balneorum vsum, & portentissima genera ciborum. Idem auctor Balneas Neronis marinis & Albulis fluētes aquis in domo illa aurea commemorat, quibus etiam Augustus (rarò tamen) vsum fuerat, de quo his verbis scribit; *Infirmitatem magna eura turbatur, inprimis lauādi raritate. Vngebatur enim saepius, sudabat ad flammam deindè perfundebatur egelida aqua, vel Sole multo calefacta. At quoties neruorum causa marinis Albulisq. calidis utēdum esset, contentus hoc erat, vt insidens ligneo solio, quod ipse Hispanico verbo, Duretam, vocabat, manus ac pedes alternis iacēaret.* Apud Dionem, cū Augustus Cōsul esset cum Calpurnio Pisone, morbo tam graui decubuit, vt nulla salutis spes adesset. Antonius Musa medicus, quòd nihil Augustus eorum quae maximè ad valetudinem opus essent posset facere, lauacris frigidis, & frigidis potionibus sanitati eum restituit. Quamobrem praeter pecuniam & statuam ex aere propè signum Aesculapij, annuli quoque vsum accepit cū esset libertus, idemq. omnibus medicis concessit. Albulae quidem in Tiburtino agro sunt, sed natura calidae, nam sulphureae. Martialis,

Augusti.

Lib. 52.

*Antonius
Musa.*

*Medici an-
nulum acci-
piunt.
Albulae aquae.*

Lib. 1. epig. 13

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces

Canaq.

Canaq. sulphureis Albula fumat aquis.

Lib. 1. Silu. 3. & Statius, Illic sulphureos cupit Albula mergere crines.

Lib. 3. c. 6. Et Albulis ità utebatur calidis Augustus, vt Tibure aduectas in Balneis Romae calefaceret. De marino balneo, haec Plinius; *Medendi modus idem & marinis erit quae calefiunt ad neruorum dolores. Ferruminant & fracturas, ossaq. contusa, item corpora siccant. Qua de causa frigido mari utuntur.*

Agrippa. Agrippam, scribit Dio, Balnea gratis per annum viris mulieribusq. cōcessisse, & praedia ad hoc Augusto tribuisse, & vt populo placeret, c l x x. Balnea siue lacus in prouinciarum formam Romae gratuita praebuisse, in quibus & si calida priùs abluerēt, postea vt à Balneis corpora multa frigida stringerent constituit, nec priùs vngi quàm lauissent. Traianus moribus consulens edicto prohibuit ne iisdem locis viri cum mulieribus lauarent simul. Xiphilinus in Adriano, *Καὶ γὰρ λούεσθαι χωρὶς ἀλλήλων αὐτοῖς προσέτεξεν* Et Spartianus, *Lauacra pro sexibus separauit*, Dixerat Martialis,

Lib. 7. epig. 34.

Sed nudi tecum iuuenesq. senesq. lauamur.

Julius Caesar.

Lib. 13. ep. ultima.

Vespasianus.

Alexander Seuerus.

Heliogabalus

Idem Adrianus, antè octauam, nisi valetudine laboraret, publicis Balneis admisit, tempusq. lauandi à meridie ad vesperam destinauit quo tēpore prostare meretricibus permissum. Obijciebatur aliquandò quòd publicè cum amicis lauaret. Iulium Caesarem eandem horam prioribus saeculis seruasse, obseruauit Hieronymus Mercurialis, ex Cicerone qui haec scribit; *Ille tertijs Saturnalibus apud Philippum ad horam septimam, nec quemquam admisit, rationes opinorum cum Balbo; inde ambulauit in littore, post horam octauam in Balneum.* Titus Vespasianus plerumque in Thermis admixta plebe lauauit. Alexander Seuerus Balnea mixta exhiberi prohibuit, quod antè prohibitum Heliogabalus permiserat, qui nunquam in piscinis lauabat, nisi croco & vnguentis essent infectae. Idem Thermis & suis, & veterum frequenter cum populo vsus est, & aestate maximè, balneari veste ad palatium reuertens. Hoc tantum habebat Imperatorium, quòd lacernam coccineam accipiebat. Idem ad-

didit

didit oleum luminibus Thermanum, cum prius non ante auroram paterent, & ante Solis occasum clauderentur. Subdit Lampridius; *Opera veterum Principum instauravit, ipse noua multa constituit. In his, Thermas nominis sui iuxta eas quae Neronianae fuerunt, aqua inducenda quae Alexandrina nunc dicitur. Post lectionem operam Palaestrae aut Sphaeristerio, aut cursui, aut luctaminibus mollioribus dabat. Atque inde unctus laubatur, ita ut caldarijs vel nunquam, vel raro, piscina semper uteretur, in eaq. propè una hora maneret. Egressus Balneis, mulsum lactis & panis sumebat, oua, deinde mulsum. Atq; his refectus aliquandò prandium inibat, aliquandò cibam usque ad caenam differebat.* Heliogabalus Balneas multis locis fecit, ac semel lauit, statimq. destruxit ne ex usu Balneas haberet. Semper in ijs cum mulieribus fuit, ita ut ipse eas psilothro (vn- *Psilothrum.* guentum depilatorium id erat) curaret. Antoninus Pius, *Antoninus.* Balneum quo usus fuerat sine mercede populo exhibuit, ut scribit Iulius Capitolinus. Tacitus Imperator apud Vopiscum, Balneis raro usus est, idemq. validior fuit in senectute. Idem Thermas omnes ante Incernam claudi iussit, ne quid per noctem seditionis oriretur. Carinus ita frigidis *Carinus.* usus est, ut solent esse cellae suppositoriae, frigidarijs semper nivalibus. Cumq. hyemistempore ad quendam locum venisset in quo fons erat aqua pertepida (ut anni tempus ferre solet) eaq. in piscina usus esset, dixisse Balneatoribus fertur, *Aquam mihi muliebre praeparatis.* In Plutarcho legimus antiquiores mollibus & moderatè calidis Balneis usque ut Alexāder in lauacro etiam febriens, & Galatarum mulieres pultis ollas ferentes vnà cū pueris lauarentur, & manducarent. Romanorum postea tempestate maximè calidae in pretio habitae fuerunt, quales Neronianae. Martialis, *Lib. 9.*

*Si temperare Balneum cupis feruens
Faustinae, quod vix Iulianus intraret,
Roga lauetur rhetorem Sabineum,
Neronianas is refrigerat Thermas,*

tanta is rhetor verborum & sententiarum frigiditate scatebat,

Galienus. bat, vt calidissimas Balneas potuisset frigidas reddere. *Constantius.* lieni aetate vsqueadeò calidae non fuerunt. Malè Cōstantius Balneis vsus est, qui obtento totius Romani Imperij regimine, Crispum filium necari iussit, & Faustam vxorem in Balneas ardentes coniecit. Malè Getae hostes, qui eius Imperatoris partes sequutos in Balneo caenantes percusserunt. *Caracalla.* Thermas Caracallae dici Antonianas scribit Spartianus, & in vsu Romanae plebis frequentatas. *Commodus.* Commodus tanto studio Balneas prosequutus est, vt septies atque octies singulis diebus lauaret, quod de Gordiano & Gallieno proditum est, qui aestate quinquies, hieme bis in die lauabat. At Commodus cū vel Balneis vel epulis operam daret (inquit Herodianus) nullum habebat praestitutum quieti tempus, οὐδένα καιρὸν εἶχεν εἰς ἀνάπαυσιν ὀρισμένον.

Diuerfarum gentium ritus.

Carthaginenses. Carthaginenses distinctas inter plebeios & patricios Balneas habuerunt. *Graeci.* Graecis nulla distinctio, sed promiscui lauabant. Coeterum tanta cuiusque hominum generis multitudo aliquandò in Balneas diuertebat, vt Balneatores iniectis carbonibus, grauis odoris odio pertaesos fugarent. *Germani.* Germani lauabant in fluminibus, quare natandi peritissimos fuisse scribit Herodianus. Caesar verò de Sueuis; *Atq; in eam se consuetudinem adduxerunt vt locis frigidissimis, neque vestitus praeter pellis habebant (quarum propter exiguitatem magna est pars corporis aperta) & lauentur in fluminibus. Si quandò tamen lauarent Balneis, calida abluebantur, & vesticbantur lauti.* *Aethiopes.* Aethiopes Macrobij fonte abluebantur, de quibus sic Herodotus in Thalia; *Δαῦμα δὲ ποτιζόμενον τῶν κατακλύπων περὶ τῶν ἐτέων, ἐπὶ κρημύσσει ἡγίσταδ' ἀπ' ἧς λουόμενοι λιπαρώτεροι ἐγίνοντο, κατὰ περ εἰή. ὅζωιν δὲ ἀπ' αὐτῆς ὥσεϊ ἰών;* *Et cū exploratores de numero annorum mirarentur, ad fontem quendam eos adduxit in quo loti efficiuntur perinde atq; oleo inuncti, violam olentes.* Macrobius fontem appellat, quoniam longaeuos lauantes efficit. Celtiberos narrat Strabo lotio diu seruato in Balneis lauasse

lauasse , & dentes ac gingiuas pumicasse . Aegyptiorum *Aegyptij.*
 Sacerdotes interdù ter , noctu bis frigida lauari , scribit
 Herodotus , & Dardanis & Illyrijs ter solùm lauare per- *Dardani.*
 missum , natali die , in nuptijs , & in obitu . Lusitanos , ait *Lusitani.*
 Strabo , ad Durium amnem incolentes , Laconica vsos vi-
 tae ratione , bis vnguento vtentes , & candentibus lapi-
 dibus calefacientes , & frigida lauantes . Spartanis lauari *Spartani.*
 calida vetitum , quòd Apollonius Tyanaeus senectam ho-
 minum Balneas appellauerit . Philostratus in eius vita ad-
 didit Antiocheneses in Balneis inclusos vitijs maximis in- *Antiocheneses.*
 dulgere solitos . Scythas , scribit Herodotus , nullo fon- *Lib 4.*
 te lauasse , sed vxoribus aquam fundentibus , cupresso & *Scythae.*
 cedro corpora confricasse . Thuris quoque ligno perfri- *Lib. de morib.*
 ctum corpus , cum intumuisset , medicamentis oblinire , *gent.*
 scribit Ioannes Bohemus . Assyrij apud Strabonem , la- *Assyrij.*
 uantur manè priusquàm aliquid attingant . At post coi-
 tum , & in morte praecipuè ; vnguntur etiam Sesamo .
 Quinquies in die Sarraceni omnes orationibus vacant fa- *Sarraceni.*
 ciebus ad meridiem versis . Antequàm tamen id faciant ,
 perfectissimam corporis mundiciem habere coguntur ; a-
 num , aures , os , brachia , nares , oculos , capillos , pedes
 lauare , praesertim post coitum & egestionem , nisi aegro-
 tauerint , vel in itinere fuerint . Quod si aqua defuerit (id
 quod rarò contingere poterit nam in omnibus ciuitatibus
 paratas ad hoc habent Balneas) pulueres mundaes & re-
 centis terrae adiumento perficiunt . Antè ablutionem
 cum nullo colloquuntur , & à nullo videri se aliquandò
 permittunt .



O P E R O S A B A L N E O R V M

*Structura.**Cap. IIII.*

LA V D A T Scipionis Africani mores Seneca quòd in eius villa ad Linternū Balneolum reperit, in quo eximij viri gloria elucebat. Angustum illud erat & tenebri-
cosum. Non pacata lauabatur aqua, sed
saepè turbida, & cùm plueret vehemen-
tiùs penè lutulenta. Nec illud lotioni aliquid afferebat in-
commodi, proptereaquòd sudorem non vnguētum, & cor-
pus rusticis laboribus fessum cupiebat abstergere. Quòd si
quis illum appellauerit immundissimum nam coeno potius
lauari videbatur; dicat etiam tantum virum, militiam, la-
bores, triumphos, non incestuosum, ebriumq. aut pastillos
oluisse. Erat inter vnguenta Caligula; at inter scortorum
fordes hircum & libidinis fetorem olebat. Inter picturas
Tiberius; at Spintriarum famosa luxuria verè caprineus. Ne
Hostij portentosos concubitus, cum specillis adijciam.

*Scipionis laus**Antiquae
Balneae.*

Rustico erant opere apud antiquos exstructae Balneae,
cùm esset bona illa antiquitas nullo cultu cõtenta, vt etiam
fides sine vllò fūco omnibus pulcherrima obijceretur, &
laudis plurimum habebat is cui dicebat Plautus,

*Vir antiqua fide**Balnearum
luxus.*

Coeperunt deindè parietes magnis & pretiosis orbibus
fulgere, & marmora Alexandrina (sic Seneca loquitur)
Numidicis crustis distingui, & variata picturae circumli-
tione contegi, in quibus obscœnae histrionum personae,
& lubrici palæstritæ, & lasciuæ pugilum inuolutiones.

Quantum praetereà, ait, statuarum, quantum columna-
rum est nīhil sustinētium (videntur Romae in Thermis ad-
huc immanes columnae) sed in ornamētum positarum im-
pen-
sae

penſae cauſa ? Quantum aquarum per gradus cum fragore labentium ? Et illud maximè deteſtari videtur , quòd eò deliciarum peruentum fuerit, vt niſi gemmas homines calcare noluerint . Sidonius Apollinaris ad Domicium idem *Ep. 2. lib. 2.* ferè his verbis , ruſticam ſuam domum deſcribens; *Iam ſi marmora inquiras, non illic quidem Paros, Charyſtos, Proconiſſos, Phryges, Numidae, Spartiatae, rupium variatarum poſuere cruſtas; neque per ſcopulos Aethiopicos & abrupta purpurea gemino fucata Conchylio ſparſa mihi ſaxa furfurem metiuntur.* Cùm ſuperiùs dixiſſet; *Non hic per nudam pictorum corporum pulchritudinem turpis proſtrat hiſtoria, quae ſicut ornat artem, ſic deueniſſat artificem.* Nihil enim ſceleratiùs excogitare inter alia potuerunt quàm varia illa Elephantidis impuriſſimi ſcriptoris ſimulacra , quibus Tiberius impuriſſimus in ſeceſſu Caprearum delectabatur . Sidonij tamen & Senecae deſcriptio , eadem cum Statiij deſcriptione videtur eſſe quae ad Neapolitanum Balneum valdè ſuperbum pertinet, *Silu. lib. 3.*

*Vna tamen cunctis procul eminet vna Diaetis
Quae tibi Parthenopem directâ limite ponti
Ingerit. hic Graeis penitus deſectû metallis
Saxa, quod Eoae reſpergit vena Syenes,
Synade quod moeſta Phrygiae fodere ſecures
Per Cybeles lugentis agros, ubi marmore picto
Candida purpureo diſtinguitur areagyro.*

& quae ſequuntur.

Accedit ad Balneorum ſtructuram opus illud ab Antonio Caracalla excogitatũ qui Thermaſ nominis ſui eximias quas ſuprà cõmemorauimus, aedificauit quarũ cellam Solarem Architec̃ti negabãt poſſe vlla imitatione fieri . Accedunt & ſpacia Thermarum ampliſſima , vt quaſdam vndecies millies pedum tota area cõtinuiſſe affirmet Leo Baptiſta in libris de Architectura ; praeter membra quae centum habuiſſe partitiones in Diocletianis , patet . Vt verò antiquotum modeſtiam cognoſcamus , per rimas tantũ Balneae ſolem diemq. admittebant, vt idem Seneca de eadem

Scipionis Balnea; *Rimae magis quàm fenestrae fuerunt, muro lapideo exstructae, ut sine iniuria munimenti lumen admitterent.*

Factum postea ut intra Conclauē succensum (idem quod quod Hypocaustum) solidus dies, & abundantia lucis inclusae, verecundos quosque compellat se aliquid plus putare quàm nudos, ait Sidonius. Ideò Blattaria vocabantur Balnea quae totius diei Solem fenestris amplissimis non reciperent, & nisi ex Solio lauantes agros & maria prospicerent. Blattae siquidem, Lucifugae Virgilio & Columellae, quae in Balneis largiter proueniunt. Plinius.

Lib. 3. Greg.

Lib. 9. c. 7.

Lib. 11. c. 28.

Lib. 1. ep. 3.

E' contrario tenebrarum alumna Blattis vita. lucem eae fugiunt, in Balneis maxime humido vapore prognatae. At Plinius nepos;

Quid Balneum illud, quod plurimus Sol implet, & circumit? In triclinijs enim coeterisq. Conclauibus maximus erat usus luminum. Statius de Balneo Etrusci,

Multos ubique dies, radijs ubi culmina totis

Perforat, atque alio Sol improbus vritur aestu.

Per ampla igitur specularia, & per cameras vitro absconditur (ut Seneca verbis utar) solidus dies, atq; ita ut vel nubilo die Solis vicem redderet Hypocaustum, addita luce quae ex flammis Balnearibus emicabat.

Solia.

At nec Solia expetebantur in Balneis, quando sufficere videbantur viuo sedilia saxo, antiquae simplicitatis symbolum apud summum Poetarum. Tum apud posteros nullius pretij ea fuissent, nisi ex Solio omnia prospicerentur.

Lib. 1. cap. 1.
tardar. pass.
3. sent. tit. 7.

Sella haec erat balnearis de qua Coelius Aurelianus, & Paulus Iurisconsultus. Festus Alueum appellat. Glossae veteres, *ἐμβασιν*. Cumq. esset dimidiati rotundi forma, Hemisphaerium dicitur Vitruuio. Aliae Sellae erant in Sigmate, & tot erant quot sigma (quae mensa erat) capere poterant, quam sic describit Ditmarus lib. 4. Chronic. *Solus ad mensam quasi semicirculū factam, loco coeteris eminentiore sedeba*

Sella,
Sigma.

sedebat. Capiebat autem Sigma septem vel octo. Martialis, Lib. 14. epig. 87.

Septem Sigma capit _____

& alibi, *Accipe lunata scriptum testudine Sigma*

Octo capit _____

Alterius generis Sellam his verbis describit Cassiodorus; *Lib. 2. ep. 39.*
Hic desuper Sella composita, quae humanis necessitatibus in obsidis speciem perforatur, aegros suscipit interno humore defluentes. Vbi dum fessi nimio languore confederint, vaporis illius delectatione recreati, & lassae viscera reficiunt. & humores noxia infusione laxatos vitali ariditate constringunt; ut quasi aliquo desiderabili cibo refecti, valentiores queant protinus inueniri. Quibus non tantum ad voluptatem paratas Balneas, sed etiam ad medicamenta cognoscimus.

Partes.

Balnearum distributiones, cum ipsa simul magnificentia, sic proponunt Plinius secundus, & Sidonius Apollinaris. Alter, *Sed antè Piscina quae fenestris seruit ac subiacet, strepitu visuq. iucunda. Nam ex edito desiliens aqua, suscepta marmora albescit. In cubiculum hieme tepidissimum quia primo Sole perfunditur. Cohæret Hypocauston, & si dies nubilus, immisso vapore Solis vicem supplet. Indè Apodyterium Balnei laxum, & hilare, excipit cella frigidaria, in qua Baptisterium amplum atque opacum. Si natare latius aut tepidius velis, in area piscina est in proximo puteus, ex quo possis rursus abstergi si poeniteat teporis. Frigidariae cellae connectitur media cui Sol benignissimè praestò est, Caldaria magis, prominet enim. In hac tres descensiones, due in Sole, tertia à Sole longius, non longius à luce Apodyterio suppositum est Sphaeristerium, quod plura genera exercitationis pluresq. circulos capit. Non procul à Balineo scalae, quae in Cryptoporticum ferunt prius ad Diaetas tres. Harum alia areolae illi in qua Platani quatuor, alia prato, alia vineis imminet, diuersasq. coeli partes ac prospectus habet.*

Alter verò ad Domitium; *Balneum ab Africo radicibus numerosae rupis adhaerescit, & sic aedua per iugum silua truncetur, in ora fornacis lapsu velut spontaneo deciduis struibus impingitur. Hinc aquarum surgit cella coetilium, quae consecuti vnguentariae spaci parilitate conquadrat, excepto Solis capacis be-*
in cyclo,

Epist. 2. lib. 2.

micyclo, ubi & vis feruentis undae per parietem foraminatum fluxilis plumbi meatibus implicata singultat. Intrà Conclauē succensum, solidus dies. Hinc frigidaria dilatatur quae piscinas publicis operibus extructas non impudenter aemulatur. Primum tecti apice in conum cacuminato, cum ab angulis quadrifariam concurrentia dorsa cistarum, tegulis interiacentibus imbricarentur, ipsa verò conuenientibus mensuris exactissima speciositate quadratur, ita ut ministeriorum sese non impediēte famulatu, tot possit recipere sellas, quot Sigma personas, fenestras è regione conditor binas confinio camerae pendentis admouit, ut suscipientium vsui fabrefactum lacunar aperiret.

Succendebatur Conclauē Sidonio, Hypocaustum Plinio coeterisq. Fornaculam appellamus. καίων enim incendere est; cuius vapor, & vasaria superimposita, & locum ad sudationem calefaciebant. Eius os, Praefurnium. Tres de-

Calidarium.

Tepidarium.

Frigidarium.

Lib. 10. Methodi.

Laconicum.

Assa.

indè Cellae, Calidaria (*calidarum cella coetiliū* Sidonio) Tepidaria quae & Vnguentaria, & quae altercatione Epicteti, Tepidaria Vinctuaria dicitur, Plinio Vinctorium, & Frigidaria quam piscinalem cellam nominat Apollinaris in carminibus, & Piscinam Plinius, quae ut Palladius docet in aestiuis Balneis lumen à Septētrione accipiat, & in Hie- malibus à meridie; Milliarium quoq; dicitur *μυλιάριον* Graecis, maximi aheni instar, ac testudinata ad circinum à mille librarum capacitate, Vas in quo seruabatur aqua. Galenus eas partes quatuor enumerat, Calidarium, calidam lauactionem quam *λουδρον* vocat, Frigidam lauactionem, & quartam in qua sudores detergerētur. In Frigidario aquae nullius mentio fit, quae in Frigida lauactione seruabatur. Neq; in Calidario (quod à Vitruuio & Celso Laconicum dicitur) aqua continebatur, sed erat ad prouocandum sudorem institutū, quare Calida Sudatio à nonnullis ea cella, à Cicerone & Celso, Assa nuncupatur. Clibanum quoq; concamerata sudatio haec erat, fornaculam habens, *κλίβανον* Graeci, *κρίβανον* Attici dicunt. Calidariū *πυριπύριον* Graeci dicunt. Tepidarium, *βαπτισήριον*. Huiusmodi autem fiebat calida; *Vbi & vis feruentis undae per parietem foraminatum*

flexilis

flexilis plumbi meatibus &c. Sidonius. At Seneca; *Et impres-* Epist. 90.
fos parietibus tubos, qui ima simul, & summa fouerent aequiter.
 Idemq. ad eam rem efficiendam scribit vti solitos Draconi-
 bus, Milliarijs, & quamplurimis formis in quibus aere te-
 nui fistulas statuebant per decliuè circumdatas, vt saepè
 eundem ignem ambiens aqua per tantum fluere spacij,
 quantum efficiendo calori satis esset. Frigidam ità intrare;
 effluere calidam. Laconicus sudor in Vaporario elicieba-
 tur, quod exactè describit Vitruuius, qui Laconici curua-
 turam ad circinum extruxit. De eo sic Dio inter Agrippae
 opera, τοῦτο δὲ τὸ πύρασθριον τὸ Λακονικὸν κατεσκεύασε; *Sudatorium*
Laconicum fecit. Idemq. Balneum idem auctor γυμνάσιον ap-
 pellat, nam Lacedemonij nudari corpora, & inungi oleo
 praecipuè videbantur. Et quoniam vapore exhausti, mox
 peruncti frigida more Lacedemoniorum lauabantur, La-
 conicum est dictum. Martialis ad Oppianum,

Ritus si placeant tibi Laconum

Contentus potes ariolo vapore

Cruda Virgine, Martiaq. mergi.

Alcibiadem in ea re Plutarchus damnat. Apodyterium, *Apodyterium*
 pro exercitatoribus spoliandis communis locus, qui cum
 Laconico coniunctus erat. Apodyterium & Tepidarium
 idem esse aliqui arbitrantur. In Sphaeristerio, *Sphaeristeriū*
 plura exer-
 citationum genera, vbi sacella aequis vndique spacijs sta-
 tuarum. Per Platanones patebat aditus ad natationem. *Platanones.*
 Xysti ex Platanis, id nominis addiderunt. Ibidem, Palae-
 strae, Porticus, Ephebea, Atria, Diaetae sic dictae quòd
 in ijs per diem edebatur, ait Varro; apud Iurisconsultos,
Diaetae.
 habitationes amoenitatis causa in hortis exaedificatae.
 Diaetas tamen Hypocaustas dicebant ad aliarum differen-
 tiam, quibus hieme utebantur. Quis numeret Corycea,
 Conisteria, Stadia, Theatridia & coetera id genus? adeas
 Andream Baccium, & Hieronymum Mercurialem. In La-
 bro tamen quod sibi parari scribit ad vxorem Cicero lau-
Tabrum.
 bantur.

Zethae.

bantur. Pila quoque dicebatur, cuiusmodi Romae in Pantheo. Zethae, loca in aedibus erant ad omnem animi corporisq. voluptatem. Plinius iunior. *In capite Xysti deinceps Cryptoporticus horti Zeta est. Amores mei. reuera amores ipse posui. In hac Heliocaminus quidam, alia Xystum, alia mare, & utraque Solis, cubiculum autem valuis, Cryptoporticum fenestra prospicit, mare contra parietem medium Zeta per quam eleganter recedit. Idemq. alia epistola, Contra medium ferè porticum Zeta parum recedit. Cingit areolam quae quatuor platanis inumbratur. Inter has marmoreo labro aquae exundat circumiectasq. platanos, & subiecta platanis leni aspergine fouet. Est in hac Zeta dormitorium quod die clamorem somniumq. excludit. Et cum idem auctor in descriptione villae Laurétianae laudet Balnei cellam frigidariam, duo Baptisteria, Vnctuarium, Hypocaustum, Piscinam calidam, Zetas, Heliocaminum, & Stibaidum, hoc fanè non praetermitteremus. Est siquidem amoenitate vallatus locus, quem candido marmore Vite protegi idem scribit, & Vitem quatuor columellas Caristias subire, dùm è Stibadio aqua velut expressa cubantium pondere syphunculis effluebat. Cauato lapide suscipi, gracili marmore contineri, atque ita occultè temperari, vt implerit, nec redundarit. Στιβάδιον Graecis torulus ex herbis. & σιβάδοποιόν, ex gramine sibi lectum comparare. Quid igitur Balneis nobilius, magnificentius, voluptuosius? Nec ostia Balneorum praetereunda. Tertullianus libro de Idolatria, ostiorum Deos recensens, Cardeam à cardinibus, Forculum à foribus, Limentinum à Limine, Ianum à Ianua, & Apollinem ὑπαισίων, & Antelios daemones, ostiorum praesides, Balneorum quoque ostia adorari scribit, idemq. insculptos Genios & Lares.*

Stibadium.

Balneorum
ostia.

BALNEARVM MINISTERIA.

Cap. V.



PSYCHROLUTES vocabatur qui frigida corpus abluebat. Seneca; *Ab hac fatigatione magis quam exercitatione in frigidam descendi. Hoc apud me vocatur parum calida. Ille tantus Psychrolutes qui Calendis Ianuarijs in Eurypum saltabam, qui in anno nouo quem admodum legere, scribere, dicere aliquid, suspicabar in Virginem desilire, primum ad Tiberim transtuli castra, deinde ad hoc solium, quod cum fortissimus sum, & omnia bona fide fiunt, Sol temperat. Non mihi multum ad Balneum superest.* *Psychrolutes. Epist. 83.*

FORNACATOR, Paulo Iurifconsulto, qui fornacem succendebat, cuius os Praefurnium Catoni. De fornace Vitruuius, Palladius, Constantinus & Sidonius. *Fornacator. Lib. 3. c. 11. Lib. 1. tit. 40. Lib. 2. c. 3.*

MANCIPIA lignorum, qui lignorum in thermas subuectionem curabant. In Codice Theodosiano, *Mancipia quae populo R. lauacris inferuiunt. Et Symmachus lib. 1. ep. 13. Quae vrenda lauacris ligna comportant. Et ne lignorum strues ad eum usum congesta subriperetur Praefectus Urbis curabat. Quod ad ciuitatis gratiam acquirendam proponit Cassiodorus, Si exhibitio salubriter accensa Thermarum rapinarum ardoribus non tepefeat. Dendrophoros hos diximus in Corporibus Puteolanis. ALIPTES, vnctor apud Coelium Aurelianum. Alipta, Ciceroni. PILICREPV S, qui pilas pice illitas in Vaporarium conijciebat vt incalesceret. In Isidori Glossis, Pilicrepus, Piliarius, Alipillus, qui alas depilabat. Papinius de Balneo Etrusci,* *Mancipia. Lib. 6. ep. 4.*

*Quid nunc strata solo referam tabulata, crepantis
Auditura pilas ubi languidus ignis inerrat
Aedibus, & tenuem voluunt Hypocausta vaporem?*

AQVARIJ, qui aquam spargebant lauantium corporibus. Aquam argenteis Epistomijs saepe effundebant.

Lib. 2. Flori-
dorum

SVPPILONES, qui Strigilibus corpora distringebāt. AMPVLLA olearia, in qua oleum seruabatur quo se lauantes vngebant. Sic eam describit Apuleius, *Qui magno in coetu praedicauit, fabricatum semet sibi ampullam quoque oleariam quam gestabat, lenticulari forma, tereti ambitu, pressula rotunditate.* GVTVM, vel AMPVLLAM, ex osse Monocerotis habebant Imperatores, cum alij haberent è vitro, vel bubali cornu. Fundebant ex his olea Roseum, Liliacenum, Crocinum, & vnguenta Myrrhinum, Gleacium, Nardinum vel Spicarum, quod ad luxuriam potius quam ad vtilitatem erat accommodatum. E floribus Populi, & oleo Sabino vnguentum citrà astrictionem tenuissimum erat. Laudat id Galeus, veluti vnguenta è Solis floribus, vt Camaemelinum ad omnes lassitudines. Erant & Diapasmata, sicci pulueres, qui deterso sudore iniiciebantur. Et Psilothrum, Vnguentum depilatorium. PATINA, instrumentum quoque Balinei apud Iuuenalem, qui de patina Domitiani ait,

———— sed ex hoc

Tempore iam Caesar figuli tua castra sequantur.

Velleius inter Tiberij sarcinas bello Germanico & Pannonico meminit, sed in vsum aegrotorum, non ad delicias Tiberij; *Iam medici (ait) iam apparatus, ubi iam in hoc solum importatum instrumentum Balinei, nullius non succurrit valetudini.* STRIGILES, quibus corpus fricabant. Quapropter semper simul Strigilis & Ampulla. Aristophanes à Suida citatus,

οὐδὲ ἐς τὴν αὐτὴν σλεγγίς, οὐδὲ λήκυθος.

Lib. 4.

Et Iulius Pollux, *Τοῖς δὲ παρασίτοις πρόσσε καὶ σλεγγίς καὶ λήκυθος;* quasi vero parasitorum insignia fuerint qui ad Balneas, & conuiuia ventitabant. Strigiles aut è ferro, Plautus Stichus,

Rubiginosam Strigilem, Ampullam rubidam,

Parasitum inanem, quo recondas reliquias.

Lib. 12.

Aut ex arundine; *καλαμίνας* Plutarchus vocat in Laconicis, quibus utebantur Lacedaemonij. Aut ex argento, quas

quas Aelianus Agrigentinis tribuit. Aut ex aere, aut ex *Lib. 12.*
 ebore quorum meminit Strabo. SPONGIAE. Delica- *Lib. 25.*
 tiores Romanos Strigilum loco Spongijs fuisse vfos Plinius
 scribit, easq. purpura tingi solitas. Et Hippocrates libro
 de morbis acutis; *Καὶ ποῶντοις χέουσιν ἀντὶ σλεγγίδος.* LINTEA
 quibus abstergebantur. Petronius, *Vide Gitona cum linteis*
& strigilibus parieti applicitū, tristem confusumq. TINTIN-
 NABVLVM; dictum quoque aes Thermanum, quo è
 Gymnasio lauaturi vocabantur ad Thermas, inquit Coe-
 lius Rhodiginus, Iuuenalis,

Tot pariter pelues, tot Tintinnabula dicas.

& Martialis; *Redde pilam, sonat aes Thermanum ludere pergis?*
Virgine vis sola lotus abire domum.

CAPSARIVS, qui seruandas in Balneis vestes susci-
 piebat. De quo Paulus Iurisconsultus in Digestis, de Prae-
 fectione Vigili officio loquens; *Aduersus Capsarios quoque qui*
mercede seruanda vestimenta suscipiunt iudex est constitutus, ut
si quid in seruandis vestimentis fraudulenter admiserint, ipse co-
gnoscat. QVADRANS, qui Balneatori soluebatur.
 Iuuenalis.

Caedere Siluano porcum, quadrante lauari.

& Horatius ——— *dum tu quadrante lauatum.*
Rex ibis ———

Quamobrem apud Senecam, non, *Res Quadratoria*, sed *Res quadra-*
toria. *Quadrantaria*, legendum docet Rhodiginus. Sic Cicero in
 oratione pro M. Coelio; *Nisi fortè mulier potens quadranta-*
ria illa permutatione familiaris facta erat Balneatori; quæstum
ferè meretricium exprobrans Claudiae quæ pro quadrante *Clodia mere-*
trix. *cum Balneatore coiret. Et centum quadrantes, vel Spor-*
tulas diuidebant diuites clientibus qui vnà lauabantur. *Lib. 1. ep. 60.*
 Quod sic expressit Martialis,

Dat Romana mihi quadrantes sportula centum;

Inter delicias quid facit ista fames?

Redde Lupi nobis tenebrosa que Balnea Grylli;

Tàm malè cùm coenem, cur benè Flacce lauer?

Lupus & Gryllus Balnea habebant meritoria, pauperibus accommodata. Et sublatis sportulis, idem doluit,

Centum miselli iam valent quadrantes

Anteambulonis congiarium lassī,

Quod diuidebat Balneator elixus,

Regis superbi sportula recesserunt.

Baianam idem sportulam, optimam intelligit lauationem.

BALNEATORES, Λουτροκόους appellat Xenophon,

Hos non nisi seruos suos habuit Alexander Seuerus Persas Reges in eare imitatus. Eosdem quoque aliquando fuisse Pancratiastas docet antiquus lapis in quo inter alia, *Ξυς ἀρχὴν καὶ ὁπβαλανίων τοῦ Σεβαστοῦ*, legimus, Pontificem, & à Balneis Augusti.

B A L N E A E, T H E R M A E

varijs in locis. Cap. VI.



IN Isthmo Methana oppidum. Indè stadia fermè x x x. calidarum aquarum Balneae. Aquas eas è scatebris primùm erupisse aiunt Antigono Demetrij filio in Macedonibus regnante, ac prius repentinis ignibus eum locum aestuasse scribit Pausanias in Corinthiacis, & sua aetate etiam manare calidas & vehementer falsas. Ibi qui lauerint frigidis perfundi non possunt, quoniam neque dulces vllae propè sunt, neque potest quisquam sinè periculo se in proximū mare natandi causa mittere, tùm propter alias belluas, tùm verò canes, quorum copiam pelagus illud gignit. Ad Thermopilas Lamiacus sinus maximè coenosus est propter aquas calidas, quae indè in mare influunt. Idem in Atticis. Modico à Marathonijis campis interuallo mons est Panis, in quo specus, cuius est ingressus perangustus, vbi verò penetraueris, &

ris, & cellas videas, & lauacra. In Thermis Aetolicis comitia fuisse creādis magistratibus patrio more, scribit Strabo. *Lib. 10.* Suprà Amasenum agrum Thermae sunt Phazemonitarum admodum salubres. Idem. Sunt Astrya calidarum aquarum Balneae contrà Lesbum, in eo vico qui Atarneus appellatur. vbi aquam nigram etiam commemorat Pausanias in Messenicis. idemq. sua aetate ad Puteolos (quod Tyrrheni maris accolarum Dicaearchia Graecis dictum) scribit aquam existere tam acuto calore efferuescentem, vt intrà paucos annos plumbeos per quos fluit tubos resolverit. Lebidorum Balneae hominibus salubres, & admirandae. Sua sunt etiam Teijs lauacra in monte Macria, partim elaborata è cauernoso saxo erumpentibus aquis, partim ad opum ostentationem exornata. Habent quoque Clazomenij lauacra. Ad ea Agamemnon colitur, ibidemque antrum Nymphae quae Pyrrhi mater dicitur. In Erithracis est Chalcitis regio à qua tertia ipsorum tribus nominatur. Porrigit se ex Chalcitide in pelagus promontorium, in quo marinarum aquarum scatebrae Balneas efficiunt omnium quae in Ionia sunt aegris maximè vtilis. Iuxta Genesat Stagnum, aquas esse calidas refert Iosephus. *Lib. 18.* Athenaeus cum multarum aquarum mentionem fecisset, & Aegis in Cilicia, & Tragafis ad Larissam, & Troadis circà Magnesium, & eius quae in Melo, Lipara, & Prusa; & eius quae Olympo Mysiae adiacet, quam Regiam vocant, & eius quae in Asia circà Thralles quam dulcem scribit esse, tandem ait aquam quae ad Baias, Baianumque est finem, bibi non posse. At verò cum infelices aquae sint ad Thermophilas quoniam maximè coenosae, & monstra varia gignunt; felicissimas aquas Baianas existimauerim, quippè nec vlla monstra generant, & dulcibus aquis quae erumpunt finitimae, & mari adeò puro, & tranquillo, vt nemo se in illud immittere, quamuis natandi imperitus, non exoptet. Plinius aquis Satyellis in Liguria, & Sextijs in Narbo-

Narbonensi prouincia Baianas praestantiores esse affirmat. Cum Baianis a quis cōferunt aliqui Helaene Balneas apud Corinthios, in quibus aqua quae in mare è saxo multa fluit & falsa, nihilo calidior est quàm quae igni primùm intepuerit. Alias quoque passim Corinthios habere scribit Pausanias publica pecunia extructas, & quas impensa sua Adrianus Imperator aedificauit. Thermas quoque Brigenſes aiunt his non inferiores quas celebrat Munſtherus interceptas montibus & flumine Rhodano. Sulphurea aqua est, quae externas in corpore plagas ex corrosione sanat, surdis auribus, spasmus, tumori, scabiosis, vlcerosis, & sterilibus feminis prodest. Aprili, Maio, Septembri, & Octobri vtuntur. Caueant qui febre laborant, & qui debili sunt capite, quique renes calidos habent. Thermas item Badenses in Heluetia, ad mulierum foecunditatem, ad neruorum vim languidam, ad lethargiam, apoplexiam, ad viscerum tormina accommodatae. Tùm autem ad lasciuiam, & amores, ad quos conciliandos superstitiosi, ignaui, nec Christiani homines ad eam confluunt; tantum diaboli valet industria, vt etiam in aquis medicatis venena infundat. Geppinenses quoque in Germania, quae hepatis obstructioni, & spleni medentur; hydropicos, & ictericos iuuant; tertianam expellunt. Aquae sunt amarae. Meminit Gregorius Nazyanzenus Balneorum Xausaridis quibus medicorum consilio sibi vtendum necesse erat, vt scribit ad Olympium. Meliorum Balneorum Galenus, apud quem etiam publica Balnea in vsu erant Antiochi Medici aetate. Et publicorum etiam dicebat curam habuisse Theodoritus Episcopus, ἐπεμελήθη τῶν λουτρῶν κοινῶν.

Balneae Italiae.

Quid verò Italicas commemorem Balneas, ne Puteolanas tantum in ijs gloriam habere dicamus? Patauinas proponimus, Ebani, S. Petri, Domus nouae, Montis Grotti, S.

Epist. 77.

Aquae Patauinae.

ti, S. Bartholomaei, S. Helenae, montis Orthoni, Porretae. Quae profectò falsae, & aluminosae, cum aliqua aliquandò sulphuris, & cineris parte, bituminosae, asphalti naturam redolentes. Romandiolas quoque, S. Mariae, *Romandiolae.* vel de Turri apud Franciottum, De medio, Dominorum, sulphure, alumine, ferro, & aere participantes. Lucenses, de Corteno, Balneum rubeum, & de Villa, sulphureas, *Lucenses.* aluminosas, nitrosas, salgemmosas. Pisanas, S. Iuliani, *Pisanae.* vel Balneum vetus, Balneum sanorum, Balneum Reginae, Sauiae, Balneum magnum, aluminosas, vehementer sulphureas, frigidas & humidās aegritudines habētibus conferentes; in quibus macerrimus quidam propter debilitatem attractivae virtutis, cum hemorroidum fluxu curatus est; alius ex fluxu stomatico, alius ex fluxu hepatico, multi vero ex podagra. Vulterranas, quas plurimas scribunt *Vulterranae.* eadem minera participantes, multo scilicet alumine, & paucò sulphure, montis Groti aquis similes. Habet etiam ferreas, habetq. Lacones (lacus scilicet) in quibus maxima ebullitio cernitur, & maxima vaporum effusio, quibus ad superficiem corpuscula quaedam effunduntur, Aves praeteruolantes cadunt, atque illicò comburuntur. Senenses, in quibus Balneum de Petriolo, quod sulphuris *Senenses.* emittit odorem. sulphurea in superficie adest spuma, & quodam vinctuosum, quòd in igne proiectum ardet, & alumine participat. Farinae, maximè calidum. De Cornetis, tepidum, remissumq. Caldenarum, ferreum & aluminosum, atque in sua caliditate temperatum. De Macerato, sulphureum maximè acutum. Rapolani, valde sulphureum. De Auinione, ferreum, aluminosum. S. Philippi, subtilioris substantiae. Aqua Borla Nitrosa, & solutiva. Viterbienses, quae decem praeclaris in Balneis existunt; *Viterbienses.* De Grotta, aurei coloris, aurique vim tenere contendunt. Vallis Chaim, vel Dominarum, calidissimae; à mulieribus facilius tolerantur. Cruciatorum, sulphureae,

phureae, aluminosae . S. Mariae in Felice, sulphureae, ferreae ; leuissimae dederunt aquae suauium nomen .

Prati, potu suauissimae, nec tamen plurimum sulphuris inest . Paganelli, nitrum, sal, & alumen habet . Asinellae, aeneae, non nimio sulphure participant .

Esculan. se.

hydropi vehementer conferunt . Esculanas, non nimis calidas, Veronenses, quae Calderianae dicuntur, easq. sua aetate repertas scribit Menghus .

clarae sunt, frigidaeque in triplici minera, ferri, aluminis, salis constitutae ; ad fluxus

Vrbis veteris.

hepaticos admirabiles . Vrbis veteris, quae ciuitas nouem quoque Balnea celebrat .

Della terra, vim habet expultricem, ideòq. lapides arenulasque explodit . Calidaiae, maximè calidum Ad scabiem .

S. Mariae valdè calidum, & siccum . Caldagnae, calidum quoque & siccum ; aluminosum magis quàm ferreum .

Ficuncellae, in caliditate temperatum . Grotae, ad lepram, scabiemq. S. Georgij, valdè siccum, vlcera antiqua consolidans .

Poti, sudoris prouocatiuum . De Luto, ad crurium crassitiem tollendam .

Perusinae.

Accedunt Perusinae aquae, nigrae, & foetidae, in quibus sulphur, & asphaltum .

Catinenses.

Accedunt & Catinenses, quibus ad tamarisci paludem, ad podagram, & articulo-

rum dolores rustici vtuntur . Aliae quoque, quae nouum Balneum dicuntur, Florentinorum vsui commodae .

Ventrem soluunt, vomitum prouocant, renibus profunt . Pro-

Aquae.

pè Aquas, quae ciuitas ad montem Ferratum posita est, duo sunt Balnea, articulo-

Aquarium.

dolorum vtilia . Ad Aquarium, quod Rhegio x xv. millia passuum abest, frigida

scaturit aqua, odore suauis, quem ad Camphorae odorem accedere aiunt .

Carpenses.

nitrosa, & salsa . Carpensia praeterea Balnea à brutis aquam bibentibus inuenta . Aliquid habent sulphuris & aluminis, quae exiccant renibus profunt,

Aponianae.

& calefactae tollunt humiditates . Et Aponianae Patauiniae . Praeter alias quas Natura vbique peperit humanis necessitatibus consulens, vt cùm terrae quoque venas vario mi-

rio minerarum pabulo enutrire voluerit, ex iisdem saluberrima ad vitam propagandam medicamenta eliceret. Quaecunque tamen Thermae fuerint, quid cum Baianis?

*Nec si Baianis veniat nouus hospes ab oris
Talia despiciat. fas sit componere magnis
Parua*

*Statius in
Balneo Etrus
sci.*

CUR CALIDAE AQUAE,

& medicatae. Cap. VII.



QVAS calidas à Solis radijs calefieri plerique censent. Alij, à vento vehementius in terrae viscera impulso, & quasi in carcerē detruso, quo postea in aquas incumbente, in iisdem calorem excitari. Maximum, dicunt alij, terrae inesse calorem, in ijs locis in quibus calidae reperiuntur. Alij tandem materiam ipsam per quam fluunt aquae, ipsis inferre calorem. Quorum facilè opiniones refelluntur, cum ignem tantum, cuius vnus proprium est res in altissimo caloris gradu collocare, aquis calorem suppeditare dicemus. Quod Vitruuius expressit; *Neque enim calidae aquae est vlla proprietas. Sed frigida aqua cum incidit percurrentes in ardentem locum, effervesceat, & per calefacta egreditur per venas extra terram. ideo diutius non potest permanere, sed breui spacio fit frigida; namque si naturaliter esset calida, non refrigeraretur calor eius.* Et Manilius in Astronomicis.

Lib. 8. cap. 2.

*Sunt autem cunctis permixti partibus ignes,
Qui grauidas habitant fabricantes fulmina nubes,
Et penetrant terras, Aetnamq. imitantur Olympo,
Et calidas reddunt ipsis in fontibus undas.*

Illud in dubium aliqui reuocarunt, vtrum subiectus ignis canalibus aquarum eos calefaciat, an in suo canales ipsi

E

contineant

contineant ignem alueo ; quamobrem Empedocles sibi persuasit aquas subterraneas ignibus calefcere si subsint solo per quod ipsae praeterlabuntur, veluti ahenis suppositis ignibus quotidie aquas calefcere experimur. At quidem cum terrae canales non ex metallis constant, sed ex saxis, & iam planè cognitum igne saxa perfringi, aquas tot saeculis calorem retinere haud potuissent. Hinc factum est vt ab Empedoclis sententia docti viri discederent, atque statuerent, spiritum feruentem qui ex occultis terrae incendijs, venisque oritur, per saxorum rimulas in canales aquarum ingressum, interiores eorum parietes calefacere. Sed nunquam tantum caloris à feruenti spiritu accipient aquae, cum ignis tantum illud efficere queat. Affirmandum itaque canales ignem in alueo continere, aquis perpetuum calorem praebentem.

Saepius tamen, ait Baccius, Graecos scriptores, cum Thermarum mentionem faciunt, spontè calidas nascentes intelligere. Atque has quidem vel actu & potentia esse calidas, veluti sulphureae, bituminosae & eiusmodi, quae tepentes sunt, calidae, & feruentes; vel calidas solum potentia, frigidas actu ex terra promanare. alias contrà calidas actu scaturire, calefaciendi tamen nullam habere virtutem, quas etiam neque medicatas, neque mixtas appellandas esse assererem. Rarissimae enim aquae sunt quae calidae scaturientes, non etiam & mixtae sint, & medicatae, quemadmodum etiam & mixtae & medicatae à natura raro reperiuntur quae frigidae sint omnino. Quae si aliquae frigidae emergunt, id potius accidit quòd per longum terrae locum ferantur vbi non subsunt ignes, & à terrae frigiditate contrariam accipiunt qualitatem.

Aquae ex mineris accipiunt qualitates.

Aquas verò medicatas, & minerales, & metallicas eas intelligimus, quae ex metallorum primis mineris suas vires habent, quae illorum prima sunt origo, & quasi focus recens editus, hoc est immaturum metallum cum substantia

stantia liquida non dùm obdurata, & perfecta per metalli-
cam & corpoream coagulationem. Et huiusmodi optima
illa metalli pars quae subtilior est cum aquis illae permeā-
tibus commiscetur, & aquae dulces vim illam mineralem
accipientes, iam ijs copulantur. Ideoq. has aquas in Bal-
neis sulphuris substantiam continere, argenteas, ferreas,
bituminosas, aluminosas, nitrosas, salis partem habere di-
cimus. De quibus sic Plinius; *Emicant benignè passimq. in* Lib. 3.
plurimis terris medicatae aquae, alibi calidae, alibi frigidae, iun-
ctaeque naturae è cunctis animalium, hominum tantùm causa erū-
pentes. Nusquàm tamen largius, nec pluribus auxiliandi gene-
ribus, quam in Baiano sinu. Aliae sulphuris, aliae aluminis, aliae
salis, aliae nitri, aliae bituminis, nonnullae item acida, variaque
mixtura, & vapore quoque ipso aliquae proficientes. Erant haec
sanè loca plurima, quorum instaurationem Federico Re-
gi Pontanus tribuit. Obruta tamen incendio & cinere.
Quae supersunt, ab Antonio Peronoto Cardinali aliqua
ex parte restituta. Calorem huiusmodi proposuit Pon-
tanus.

*Aquae Baia-
nae coeteris
praeestiores.*

*Baiano sed ne fumare in littore thermas
Mirere, aut liquidis fluitare incendia venis;
Vulcani fora sulphureis incensa caminis
Ipsa mouent, latè multum tellure sub ima
Debacchari ignem, camposque exurere opertos.
Indè fluit calidum referens ex igne vaporem
Vnda fugax, tectis feruent & balnea flammis.*



BALNEAE VTRVM PROSINT

an noceant. Cap. VII.

Lib. 3. c. 9.



CLEMENTS Alexandrinus in Pedagogia, quatuor ob causas ad Balneas homines accedere asserit; ob mundiciem, ob calorem, ob sanitatem, postremò ob voluptatem. Voluptatis lauacrum reiiciendum docet. Mundicie, mulieribus tantum conuenire.

Caloris causa lauari putidum esse, cum quod frigore horridum euaserit, possit aliter recreari. Quòd cum sanitatis tantum causa reliqua sit, nec eam amplectendam confirmat, quandò frequens earum vsus vires adimit, naturalem roboris vehementiam dissoluit, & saepae ad animi deliquium deducit. Ideoq. veteribus Balneas ἀνδροπογναρείας, hoc est, *fullonicas hominum officinas* esse dictas, cum antè tempus consenescere cogant. Adstipulatur Plinius, qui ad pridianas ingurgitationes concoquendas balneas introductas scribit, & ita obedientissimos homines efferri ad sepulcrum. Satyricus Aquinas,

*Poenam tamen praesens, cum tu deponis amictus
Turgidus, & crudum pavonem in Balnea portas.
Hinc subitae mortes, atque intestata senectus
It noua, nec tristi: per cuncta fabula coenes.
Ducitur iratis plaudendum funus amicis.*

Et Columella; *Mox deinde ut apti veniamus ad ganeas quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus.*

Hippocrates (quòd febri laborantibus utilia esse Balnea aliqui contendebant) aliquibus assiduè vtendum, aliquibus non item persuadet, in libro de victus ratione in morbis acutis; λουτρὸν δὲ συχνόσι τῶν νοσημάτων ἀρήγοι ἀνὴρ χρωμῆοισιν, ἐσ τὰ μὲν ξυμμεχέως ἐσ τὰ δ' οὐ. Minus aliquandò ijs esse vtendum subdidit, propterea quòd ad Balnea homines sunt imparati, quando

quandò non quaeque domus necessaria habet instrumenta, nec ministros ad eam rem necessarios. Quòd si quis non benè lauerit, detrimenti plurimum accipiet; tùm prae-
cipuè si Medici Balneorum virtutes ignorauerint. Et ad
benè lauandum, tugurio fumum non habente opus esse
scribit, & aqua larga, & balneo multo, & non valdè lar-
gè effuso. Defrictionem abesse. Si quis verò defricetur
calido vtendum esse ipso defrictorio medicamento; multa
insuper aqua & citò perfundendum. Breui quoque via ad
Labrum opus esse, quò facilis descensus pateat, facilisque
indè exitus. In eo qui lauatur, laudat moderationem &
silentium, nihilq. ipsum operari iubet, at coeteros perfun-
dere, & defricare; spongas item parari pro strigili, & non
valdè siccum corpus inungi. Tandem magnam lauationis
partem aegro tribuit, si sanus Balnei fuerit amans, & laua-
ri adsuetus; tunc enim magis appetit, & lotus vtilitatis si-
bi plurimum afferri sentiet; sin secus, laedetur. Peripneu-
monijsverò magis quàm ardentibus febribus conuenire af-
firmat, ἀρμίζει δ' ἐν πεπλομένοις μάλλον ἢ ἐν καύσοις τοῦ ἐπίπαν.

Eorum deindè vtilitatem eiusmodi commemorat, vt do-
lorem lateris, pectoris, ac dorfi leniant, sputum maturum
faciant, & educant, spirationem facilem reddant, lassitu-
dioem expellant, dùm articulos, & cutis superficiem mol-
liunt; sed vrinam etiam cient, capitis grauitatem soluunt,
& nares humectant. Vt tamen rectè lauetur, caput refic-
catum expetit, vt spongia exergeatur; neque perfrigerari
caput iubet, neque extremas partes. Neque Balneo ad-
hibendum qui recens potum, aut sorbitionem sumpserit;
neque mox post Balneum sorbendum, aut bibendum.

Minimè tempestiuè dicit eos lauare quibus alius in
morbis liquidior iusto est; itemq. eos quibus plus iusto ad-
stricta. Debilitatos quoque, & ex ciborum fastidio nau-
seantes, aut vomentes, aut biliosum eructantes, vel eos qui-
bus sanguis è naribus erumpit. Eos qui Balneo delectan-
tur,

tur, si bis in die lauerint, non peccare scribit, tum demùm si adfuerint signa quibus lauari conducatur, lauare oportere.

Lib. 1. de muliebr. affect.

Idem Hippocrates scribit; cùm partus purgamenta non fuerint purgata, ex varijs affectionibus lumborum, vteri, foemorum, febres acutas fieri. Quod si ita fuerit, à Balneis esse abstinendum. Si verò febris adfit, Balneo esse curandam. Idem auctor quatuor Balneorum genera constituit, ὕδωρ πότιμον, αἰμυρόν λουτρὸν, θερμὸν λουτρὸν, & ψυχρὸν λουτρὸν. Addidit primùm Balneum, Aquam potabilem, humectare, & frigefacere, cùm exhibeat corporis humiditatem. Secundum, Salsum scilicet, calefacere, & siccare, nam naturà calidum à corpore humiditatem educit. Tertium, Calidum, ieiunum attenuare & frigefacere quandò per caliditatem à corpore humiditatem elicit, & κενουμένης τῆς σαρκὸς τοῦ ὑγροῦ ψύχεται τὸ σῶμα; *educta è carne humiditate corpus refrigeratur*. Post cibum, idem calefacere, & humectare affirmat. At Balnea frigida, vacuo quidem corpore praebe-
re quandam humidam frigiditatem, vbi cibus ingestus fuerit, ab humido existente detrâhere, & frigidum siccitate replere.

2. primi,

Auicenna Balnearum nocumenta sic exprimit, vt dicat eas superfluitates ad membra in quibus est debilitas facere, leuiter descendere, corpus laxare, impedire neruos, & resoluerè calorem innatum, tùm comedendi desiderium deijcere, & coeundi debilitare virtutem. Et tertia eiusdem subdit, debilitare cor si multum morati fuerint, syncopen excitare, nauseam & quietos humores mouere, eosque ad putrefactionem praeparare, & cum ijs ad membrorum nobilium receptacula declinare; indèq. apostemata erumpere. Et prima quarti; *Facit descendere phlegma indigestum propter illud quod effunditur ad locum putredinis, & permiscet humorem malum cum putrido, & resoluit subtile, & facit remanere crassum.*

Cap. 2. tract.
1. lib. 10.

Rasis, Non vidi (ait) Balneum febricitantibus in aliqua dispositione esse utile; maxime tamen ipsa vitare consulo in febribus
putri-

putridis quantum possibile est. Galenus ad Glauconem, ijs qui ex multitudine laborant, membra quamplurimum fricare non oportere docet; à vino & cibis abstinendum, & Balneis etiam si febricitauerint. Quae ad putridas febres referuntur, idem quippe Galenus 10. lib. Therapeutices scribit eos qui hectica febre laborant, & qui iam marasmodò febriunt, modò ijs nulla febris, nec ex putrescente humore, nec ex phlegmone sit adiuncta, audacter esse lauandos. Ergò si ex putrescente humore fuerit, lauare ex eius sententia non expedit, cùm vires exhauriat Balneum sensibili caliditate, febrim, viscerumq. aestum intendat, humores agitet, abscessuum causa sit, frigiditate essentiali, calorem naturalem perdat, humiditate etiam obstruat, augeatque putredinem.

Alij contrà Balneum paratum ex aqua potabili ad tuendam bonam valetudinem esse summum praesidium dixerunt, siue compositum, siue simplex. Et intemperiei absque materia calidae affirmarunt Balneum mederi sensibilter frigidum, frigidae calidum, Aneti, Camomeli & similium virtute recepta, siccae tepidum, humidae calidum, quae omnia in balneis reperiuntur. Dixerunt praeterea morbos declinare materiales, humores absumere, & destruere, & cohibitam transpirationem cutim reserantem, tollere. Et calidum praecipuè Balneum obstructionem reserare, fuliginosum, fumidum, atque acre excernere, crudum concoquere, idemque concoctum exhaurire. Quod si Galenus in febribus humore existente crudo interdicit Balneo; huiusmodi cruditatem dicunt habere gradus, eumque de maxima cruditate intelligere, quae Balnei caliditate concoqui non potest; & acerbiores succos Balneo ad maturitatem deduci posse, medico tuente sanitatem, idque dixisse ipsum Galenum lib. 3. de sanitate tuenda; *Si probe Balneum adhibeas, ipsum quoque apoteraphiae pars est, si quidem duras densasque partes emollit, excrementum putreq. si quod in-*
tus ad

eus ad cutem haeret . euocat . Idcirco aquarum qualitates esse animaduertendas, nam dulcium calefactarum aquarum, si media temperie fuerint, vis calida & humida est, si tepidiores, humida & frigida; si iusto calidiores, calida quidem, sed non perinde humida.

Dicebat itaque Ioannes Franciscus Brancaleo Neapolitanus medicus in ea disceptatione, quae coram Paulo III. Pontifice morbo affecto habita est, duo potissimum considerata ijs qui huiusmodi affectionibus afferrent medicinam, percoctionem crudorum quas ante sanguinis perfectionem fuerint, & educationem acrium & mordacium quae secunda sunt, & sanguine posteriora. Abstinere eos conveniat ab omni valido motu, blande unctos atque oleo perfriectos perfriectos perquam suavi lauare Balneo; inde in otio esse atque etiam somno si fieri possit. Et addit; *Cum igitur primo die experti an facile finita lassitudo sit. similiter gradatum hominem cernimus, tum mittendus in Balneum est etiam secundo die; tum quiete, abstinentiaq. habendus. a quo vero & si iterum & tertio oportere videris, itidem ieiunium lauabis quietem & somnum ipsis lauationibus interponens.* Atque ut antiquorum in Balneis usum, praeter febres, laudaret, Hippocratis affert auctoritatem qui scribit dulcem aquam madefacere & refrigerare, cum corpus humidum reddat; calida Balnea ieiunum emaciare, & non lauari nec vngi, humido consumpto siccare. Et cum Balnea varias morborum affectiones curauerint, non esse summum Imperatorum in Balneis studium admirandum.

Cardanus distinguit Balneorum aquas in calidam, tepidam, temperatam, frigidam. Balnea calida aqua benevalentibus nihil prodesse asserit, ne quisquam cupiat elixari. Tepida dissolvere vires scribit, & corpus labefactare. Frigida vero gratiora esse, eiusque usum antiquis illis qui more belluarum vivebant, peculiarem fuisse, quos iuuabat siccis frondibus se detergere, & mundioribus inuoluere. Cum postea ad humaniorem cultum essent mortales redacti,

Ati, Balneorum vsum adeo creuisse, vt nihil esse tota Italia
Thermarum nomine vulgatus. Temperati Balnei com-
moda ex Galeno profert qui 8. lib. artis curandi ait, Balnea
aperire poros, sudorem prolicere, sitim sedare, somnum
prouocare, mundare atque purgare cutim, sordemq. om-
nem ex illa detergere, humectare corpus, adiuuare coctio-
nem tertiam, corpus impinguare, gracilibus prodesse, &
claram vocem efficere. Et praeter vsum quem praestant in
morbis, de tuenda tantum sanitate loquutas, ait iuuenem
exercitatum iam parum, Balneo parum indigere, vt qui ex
mediocri exercitatione & apothrapia omnia iam sit con-
sequutus; si tamen commodè ipsum adhibeas, duras, ten-
saeque partes mollire, excrementum, si quod erit, ad cu-
tim reuocare. Et cum commendasset Balneum tres ob cau-
sas, quòd os siccum humidum reddat, sitim extinguat, &
corpus calidum & arefactum temperet, mox quid obsit te-
statur. Insuetis persaepe grauius nocet. Et vt in fluxioni-
bus ad ventrem est vtilissimum, sic etiam sanguinis fluxum
grauiter irritat. Nocet Plethoricis, & crudis, & vterum
ferentibus. Dissoluit vires, effeminat homines, nocet in-
flammationi, erisipelati; putredini obstat, gignit, & au-
get. Neque lauari debent qui destillatione aut grauedine,
aut capitis dolore ex ardore, neque syncope ex cruditati-
bus laborant.

Frigidam natationem idem scribit corpus corroborare,
& caput, & calorem naturalem confirmare, sitim sedare,
ciborum appetitum excitare, calorem externum tollere,
renibus, & vesicae conferre, refrigerare, & simul aut sub-
stantia aut facultate humectare. Ex accidenti verò calefa-
cere, calorem intrò repulso, & in vnum coacto, & propte-
rea vehementiore facto quippe cutim adstringit, ac densat,
& sic periclitantem nimia exhalatione innati caloris sub-
stantiam reprimat, & vires adauget, nec ab estrinsecus ad-
uenientibus tam facilè laeditur. Sed antequàm quis frigi-

da lauerit cauere debet ne corpus plethoricū, aut cacochimum fit. In plethorico, humores crudos intus premit, & conculcat. In cacochimo, fuliginosos vapores includit. Iuuenis praeterea fit destillationibus non obnoxius, qui bene dormiat, nec angatur curis. At nec lauetur pleno ventriculo, nec post Venerem. Probare ait Galenum post calidum, Balneum frigidum iuuare. temperatè tamen frigidum, non niuem quam dicebat Hippocrates. Aestatis tempore, & sub vmbra frigidam laudat lauationem. Quae omnia ad medicorum diligentiam reijcimus, dum tamen non aegros ad Balnea compellant, cum medicamentorum amiserint disciplinam.

*BALNEAE NEAPOLITANAE,
Puteolanae, Baianae, Pitheculanae. Cap. IX.*

Lib. 55.



IRIPPLICI ordine has Balneas distinximus, vt Neapolitanas, praeter illas quas Strabo commemorat, aitque aquas non inferiores Neapolim habuisse Baianis, & Balnearum regiones in eadem ciuitate sub Graecis Imperatoribus leguntur, eas intelligam, quae extra cryptam, Balneolum vsque continentur. Eas inquam quae in ijs locis reliquae extant. Puteolanas quae indè ad Tritulum. Baianas, quae Misenum vsque reperiuntur. Ordo verò hic est;

Sudatorium S. Germani.

Neapoli Puteolos discedentibus, post cryptam quae in Pausilypano colle est, ad dexteram Agnanus lacus occurrit, circularis, collibus vndique conclusus. Per apertum ferro montem immensae maris vndae, excisi rupiū parietes, cauiq.

cauiq. specus ad piscium stabula, atque recessus facti, limo nunc & arenis oppleti. Ranis nunc & serpentibus domicilium, quorum globi verno tempore è summis rupibus in aquas prouoluuntur, aquaticis auibus esca. Qua propter nulla ibi piscium societas. Linis maturandis aptissimus. Mons Spina paulò suprà sentibus, & viperis redundans, squalore erat obfitus. Ad cultum paucos ab hinc annos redactus, inter hortos Neapolitanos numeratur, & eodem pacto quo Neapolitani, accolae immunes habentur. Ad lacus oram cellae sudatoriae concameratae sunt, sub quibus è solo calidi vehementer erumpunt vapores, vt si quis vel nudus introierit, repentè quàm maximos sentit è corpore sudores effundi. Hinc loco nomen datum. Conferunt haec vaporaria plurimùm podagricis. Noxios ac nimios humores eliciunt. Ulcera interiora sanant, & ad multiplices corporum morbos valent.

S. Germani & Paschasij historiã ex D. Gregorio adscribam ad suffragia pro defunctis contra haereticorum deprauatam opinionem commendanda; *Cùm adhuc essem iuuentulus (inquit) & in laico habitu constitutus, narrari à maioribus audiui quod Paschasius huius sedis Apostolicae Diaconus mirae sanctitatis vir fuerit, eleemosynarum operibus maxime vacans, cultor pauperum, & contemptor sui. Post multum tempus mortis eius Germano Episcopo Capuano medici dictauerant pro salute corporis, vt in thermis angularibus lauari debuisset, Qui ingressus easdem thermas, praedictum Paschasium stantem, & obsequentem in caloribus inuenit. Quo viso vehementer extimuit, & quid illic tantus vir faceret inquisiuit. Cui respondit, Quod nulla alia causa in hoc loco poenali sum deputatus, nisi quia in parte Laurentij contra Symmachum in Pontificatu sensi. Sed quaeso pro me. Dominum deprecare, atque in hoc cognosces quod sis exauditus, si huc rediens me non inueneris. Quòd post paucos dies ita factum est.*

Cùm de Paschasio in poenis mancipato loquitur Illustriss. Baronius verba Gregorij; *In sua tamen sententia vsque ad diem sui exitus perstitit, declarans, ait exclusiuè illud esse intelligendum. Etenim omnium est receptum assensu,*

Lib. 4. Dial.
cap. 40.

6. Tomo Ann.
narium.

non posse in coelum admitti, qui in terra se ab Ecclesia separauit. Grauis illa quidem Paschasij culpa fuit quòd post receptum à Sancta Synodo Symmachum in Romanum Pontificem, ei minimè communicare voluerit; venia tamen factus dignus, cùm in exitu ipso, facti poenituerit. Textus praeterea quem idem citat, *In Angularis Thermis*, habet. Melior lectio quàm, *In Angularibus*. Non longè à Sudatorio antrum est, cui Canes dedere nomen, quos cùm in antrum iniiciant, moribundi extrahuntur, & in lacum immissi ad vitam illicò reuocantur. Pestiferae indè erumpunt exhalationes. Os Plutonium ad Hierapolim commemorat Strabo, & specus Corycium & Typhonaeci, Pomponius Mela. Pontanus ad Massicos montes quid simile narrat.

Balneum Bullae.

Praeter hunc Lacum Bulla est, quasi aqua bulliens, ob Soli feruidi naturam, in quo effossa scrobe, & aqua superinfusa frigida, mox concalescit, & sulphuream virtutè adipiscitur. Aërem aquae densa caligine obnubilant, quã obrem nullas ibi aues videre licet. Ad quartum caliditatis gradum eas accedere medici dicunt, quae deductae ad priuatos vsus in Balneis, mirificè frigidis omnibus capitis morbis, & articulorum opitulantur. Subtilis tamen cùm sint essentiae, ac digerentis facultatis, eas nitri, atque aeris obtinere mixturam coniiciunt, idcirco auribus, & oculis mederi, nutritoria instrumenta corroborare, splenem attenuare, vterum flatibus discussis abstergere. Eadem alienam aquam ibi calefactam virtute loci efficere animaduenterunt. Mederi praecipuè oculis hasce aquas scribunt, easq. cum ijs connumerant, quae S. Anastasiae, Iuncariae, Petrae, plagae Romanae in Aenaria dicuntur; tùm verò cum Sudatorio in Minio Hispaniae fluuio, cum scopuli aquis Viterbiensibus, & cum ijs quae ad Viuares in Delphi-

Delphinatu , atque ijs quae de Trigorio in via Ostienſi dicuntur . Addit & Solini fontes in Sardinia , & Bracculas aquas Baijs , oculorum nebulis percommodas .

Aſtruni .

Cùm ad Septentriones perrexeris , mirabilis efficaciae lauacrum occurret , quod à Strunis nomen accepisse ſcribit auct̃or is qui ad Federicum opus ſcripſit de Balneis . Aſtranam vocat Sauanarola , & Strumam Vgolinus . Aſturiū appellandum potius aliqui cenſent ab earum auium venatione . Sex millium ferrè paſſuum circulo locus inter montes circumſcribitur , inter quos peramoena vallis eſt quae paulatim ad mille paſſuum latitudinē cogitur vt Amphitheatrum repraeſentet . Siluae ceruorum , & aprorum greges alunt , volatiliū praeſertim maximam copiam . Regiae venationi locus dicatus eſt , & praefectus hac de cauſa conſtitutus . Ferunt Reges Neapolitanos ibi venatoria ſpectacula edidiſſe inſpectantibus è iugis collium ciuibus . Memorabile illud narrant quod ab Alphonſo Rege eſt editum , collocata nepte Heleonora Federico III. Germanorum Imperatori , cui cum tota ferè Germana nobilitate interfuit , compluribus etiam cum Hispanis Principibus qui Heleonoram ex Hispania deduxerant . Exhibita tunc venatio fixis ad Agnanam paludem tentorijs . Fontes è vario vini genere conſtituti , menſae apparatus , in quibus ad xxx. millia hominum diſcubuerunt . Solem in hoc magnificentiae genere nihil quicquam vidiffe magnificentius , aſſerit Pontanus . Spiritus ibi ſemper ſulphureus , & calidae paſſim ſcatentes aquae . Aliquae adeò temperatae , vt neque in potionibus medicatis incommodae habeantur . Ventriculo auxiliantur , pectus leniunt , appetentiam excitant . Dentibus , faucibus , voci , capiti , & omni rheumatum generi , ſiccando , digerendo , corroborando , ſunt adiumento . Nitratam , aeratam , ſulphuream mate-

*Lib. de ma.
gnif. c. 16 .*

materiam obtinere optimi medici arbitrantur . Mengus etiam alumine constare asserit . Oculorum suffusionibus non adeò Hypochysi confirmata potus auxiliatur . Cum Duccia S. Philippi, & Badenia in Helueticis, tum Grotta Viterbienti ea in re conuenire eas aquas scribunt . Ebibitum Balneum Anginas, & Pleuritides arcet . Frequentis vsus praeter coeteras Puteolanas Balneas habentur, nam praeteriti incendij minore calamitate affectae sunt, & integram suarum aquarum naturam retinent . Vere, aestate ineunte, & autumnii parte vtilis .

Foris cryptae .

Retrogrediendum est, vt rectà deindè incedamus, & litoris oram perlustremus . Triptam hoc lauacrum vocat Sauanarola, re tamen ipsa à crypta Pausylipana nomen accepit, ex qua cùm egressus fueris, ad maris oram occurrit . Apud Elisium ex Sauanarola aqua haec potu, & operatione dulcissima est, ignitos artus refrigerat, desiccata febribus membra rigat, pulmonem laesum, iecur, pectus sanat . Debilitatē stomachi tollit, sed nocet hydropicis . Ad tussim, vtilissima . Aufertq. cutis infectiones .

Iuncariae .

Iuncariam, Deiuncaram vocat Sauanarola, confortare ait stomachum & haepar, pectus lenire, letificare animum, gaudia inducere, suspiria tollere, alacres in muliere efficere vires, renes confortare, excitare coitum; sed haecticas primae & secundae speciei iuuare, non credit . Giuncaram, & Vincaram Franciottus . Iuncaram, auctor Balneorum . Eius mineram nitrum, ferrum, & aurum arbitratur Menghus . A iuncis ibi nascentibus nomen habet . Potu haec aqua impinguat, viribus tamen non languidis . Venerem iuuat, renes confortat, & chronicas febres discernit . Pectus roborare ait Vgolinus eas sequens, exiccationis

cationis causam remouere, & inter coeteras esse saluberri-
mas. Inter potulentas aquas numerantur.

Balneolum, vel plagae.

Balneolum ab Elifio in radice Olibani montis, quā
Nesidem protenditur versus, describitur; *Sed tanta virtutis,
& efficaciae eius praestantia, ut infirmus non solum aquam ibi,
sed Deum adesse putet.* Caput, stomachum, & coetera mem-
bra confortat, oculorum nebulam fugat, consumptos &
debilitatos reficit, quartanae cōtinuae & quotidianae ma-
teriam destruit, à doloribus ex quocunque morbo vel fe-
bre praecedentibus liberat. Olibanus verò ad Puteolos Mons Oliba-
nus.
mons est ex praedura filice (saxa hodie appellant) in sum-
ma omnium rerum sterilitate constitutus, quapropter, ὅλος
βαίος, totus sterilis, dicitur. Hunc montem à Caio excisum
ad Italiae vias filice sternendas aliqui dixerunt, nam Sue- Cap. 37.
tonius dixit; *Iacetae moles infesto ac profundo mari, excisae ru-
pes durissimi filicis, & campi montibus aggere aequati, &c.* Eli-
ciuntur nunc indè Pontonibus saxa ad molem Neapolita-
nam vndique firmandam, ne maris aestu, & fluctuum im-
petu labefactetur, & ad vias ciuitatis sternendas.

Petrae.

In extremo hoc littore Petrae est lauacrum. Ab effectu
nomen inditum, calculum enim frangit, & educit arenu-
las. Caput à doloribus liberare scribunt, detergere ocu-
los, auribus auditum praestare, cordi & pectori opitulari.
Eius aquae potus interiora expurgat. Nitrosa est. idcirco
laudatur ad internas & calidas affectiones hepatis, renum,
uteri, vesicae, ut aqua portulenta, & remissae admodum
caliditatis, & mediocriter digerentis facultatis. Qualis
etiam superior Plagae aqua, Tritulae, & aliae. Idcirco
represso per Balneum temperatum (inquit Baccius) fer-
uore visceris, phlegmonae arcentur, abscessus, caufones,
aliaque

aliaque pernicioſa vitia . valere item in febribus cum Plagae aquis & Tritulae , ſed pituitofis .

Subſidij hominum .

Sic appellat Franciottus , quod vulgus , *Zuppa d'buomini* . Mengo nitroſum & ferrugineum eſt . Vgolino cauſas frigidas remouet , peſtoris defectum tollit , & confert articulis . Obſtructae ibi aquarum venae ſunt fonte relicto , quae tamen ſub arena infra cryptam & mare perquiruntur Maximam ijs medici tribuunt ſalubritatem , ex qua nominis emanat ſignificatio , mirum enim in modum aegrotis ſubuenire dicuntur . Ad podagram plurimum valere ſcribit Altimarus . Elifius , tumidi ventris onera deponere , omnemque doloris ſpeciem auferre . Debilitatis tamen reſtaurationem praeclarè lauantes adipiſcuntur .

Orthodonici .

In Olibani radicibus in Puteolani Epifcopi hortis lauarum eſt ad quod per multos gradus deſcenditur , quapropter flante Auſtro calor intus inclufus , exhalationis expers , intrantes enecat . Graue ibi proſecto olens ſpiritus , & Mephitis . Auditas ibi aliquandò lugentium voces ſaepe mihi aſſeruit Leonardus Vairus Epifcopus . Aqua tamen eduſta corpora febribus conſumpta reſtaurat , ſtomachi nauſeam expellit , ephemerās & errantes febres tollit , & maximè ad phtifiſim paratas . Ad ſudationes , & in Balneis ſumitur .

Calaturae .

Celaturam Franciottus , Collaturam Vgolinus , Calaturam vulgus . Deſcendit aqua ex rupis latere , quae turpes ex ore notas remouet , ſtomacho ſubuenit , tuſſim fugat , praeteritas crapulae digerit , mentem corroborat , cor laetificat .

S. Anastasiae .

Ad monasterium S. Anastasiae defossa scrobe in arena ipsa littoris, aqua erumpit clara, ad arenulas detrudendas, & calculos confringendos aptissima . Habet cum proximis aquis aliquam aeris simul cum nitro portionem, atque idcirco oculorum caligini & suffusionibus medetur . Franciottus Anastasij nominat . Olim hic erat Adiutorij Balneum .

Cantarelli .

Cantarelli Balneum (inquit Baccius) à *Canthari forma per quam fluit, dictum perhibetur* . Cuius cum primaria olim esset gloria in Puteolanis utpotè quòd mirandis modis tum occulta persanaret vlcera, tum ossium quoque fragmenta, quae opere indigerent chyrurgico, extraheret, immò fluentem undique sanguinem supprimeret, vterumque ferentes summoperè iuaret, coeterum post incendium ad Tripergulas cui vicinum id Balneum extiterat, pluri ex parte submersum cinerem, nec satis post aliquam adhibitam operam restitutum, tota iam laus in Aenariae Balneis defluxit, quae tam genere, quàm copia, & foelici usu praesertim Gurgitelli ac Furnelli aquae praestantes, similes, ac maiores etiam obtinent facultates . Quamobrem non desunt qui hisce & Cantarellis, occultam proprietatem è benigno quopiam coelesti aspectu tribuant . Ferri & Magnetis habet operationes .

Fontanae .

Aretinus haud longiùs à sua aetate repertas aquas scribit . Formam, alio nomine dixerunt . Nitrata in ijs & bituminosa mixtura, & inter suaues annumeratae, hoc est quae vel odore, vel sapore nullam praeseferunt insuauitatem, sed quae dulcibus non sunt comparandae velut etiam Iuncaria, aliaeque Balneae in Puteolano, & Baiano . Proprietates his carminibus describit Lombardus .

*Fert somnum, ventrem reddit fluxumq. soporem
 Conciliat pueris, lac citò multiplicat.
 Saxa mollicas, renes expurgat arena,
 Cuncta laucra super, nausea fit procul hinc.
 Vesicam referat, lapidem frangitq. potenter;
 Affectis podagra, vulneribusq. nocet.*

Ciceronis, vel Prati.

De Prata, vulgò aquae dicuntur. Opus Ciceronis creditur in Academia extructum. Spontè tamen ibi nascentibus aquis. Diuus Gregorius libro 1. Dialogorum meminit monasterij quod Balneum Ciceronis vocabatur. Eas verò aquas, quòd oculis medicinam afferunt aeratas arbitratur esse Georgius Agricola. Ad lippitudinem mirum in modum celebratae. Conferunt etiam viscerum torminibus. Sed totum ferè corpus languidum restaurant. Ob illud iuuandi oculos experimentū, arbitrantur aliqui aquas Cadmia participare, quae in Cumano agro naturalis est, Dioscoride auctore, ac in Baiano. Quippe ibi quoque Chalcitis, Myfi, Sori, Melanteria, Chalcantum; *ὡς αὖτε* (inquit) καὶ ὅ ἐν τῇ Κύμῃ λίθος ἀρισκάμμος.

Arcus.

In sinistra Auerni lacus parte, in qua Balnearum copia cernitur (decem commemorat Aretinus) ab aedificij forma, Balnea Arcus nuncupatur. Consumptos corporis artus restaurat, corpori robora addit, ventrem exonerat, pelli cutim restituit, stomacho praesto est, & interiora omnia iuuat. Caueant splene & iecore laborantes.

Rainerij.

Ab inuentore haec aqua nomen accepit. In Tripergulis collocat Aretinus. Aquas tamen etiam Trituli ad sanitatem exposcit. Scabiem & impetiginem sanat, putridum corpus

corpus mundat, restaurat cutim, leprosis prodest, inquit Elifius. Salsi phlegmatis hostis aqua est.

Tripergulae.

Vgolinus totius corporis debilitatem, & segnitiam auferre dicit, superfluumque dolorem pellere. Elifius, mentis defectum auferre scribit, alleuiare corpus, cor exhilarare, membrorum profugare onera, stomachi varios dolores arcere, pedum grauitatem remouere, symptomata explodere. Balneum vetus dicitur.

S. Nicolai.

Elifius; *Omnia Balnea potentes, aut magis solliciti occupant; hoc solum mirifici Confessoris pauperibus subuenit, & ideo S. Nicolai dicitur. Haec aqua ab alijs descripta non est, nec ab intelligentibus satis experta. quantum tamen compertum habeo, debiles fouet, consumptos restaurat, stomachum conformat, & vires reparat.* Lombardus.

Infirmos refouet, consumptis praestat opemque.

Confirmat stomachum robur aqua haec reparat.

Scrophae.

Vnda mirabilis (inquit Elifius) Sic dicta, vel quod scrophulas sanat, quod Christianissimorum tantum Gallorum Regum sputo tribuunt; vel quod scropham in ea volutari viderint. Scabiosis & leprosis prodest, impetigines sanat, ventris sarcinam, & pondus deponit. Articulos iuuat. Lombardus;

Isle latex dictus sic est, quia xoupádas aufert,

Aut vnda hac volui scrophula reperta quod est.

Leprosi prodest; scabiem (mirabile dictu)

Salso Lichenas phlegmate purgat aqua haec.

Articulis confert, deponit pondera ventris,

Nodosae eximium pharmacon est podagrae.

*Vteris his scrophae quicunque salubribus undis
Cum tumidis vites salsa leguminibus.*

S. Luciae .

Quòd oculis aquae S. Luciae subueniunt, id nominis sibi compararunt. Suffusiones oculorum recentes, & nebulas destruunt. Et quamuis Elifius scribat, has aquas aliquandò caecos illuminasse; neminem tamen id vidisse scio. Articulorum & capitis dolores pellunt. Surdis maximo sunt adiumento.

Arculi, vel S. Mariae .

Huius etiam nominis aquae ad Παλαιόπολιν, Romandiolam, Senas, Viterbium, & Flaminiam. Quae non minus frigidum caput calefaciunt, quam Porrectae aquae ad Bononiam. Aedificium lauacro nomen dedit. Hepar calidum aptat (ait Elifius) à nimia frigiditate, ac rheumate absoluit, oculos ab ophthalmia seruat, stomachum roborat, somnum nimium, superfluamq. vigiliam propellit, aureamque mediocritatem inducit.

S. Crucis .

Ea quae in hac aqua miracula enumerat Elifius, hoc sanè tempore minimè cernimus, ait enim quamplurimis id euenisse vt alienis brachijs & pedibus huc adducti, vel baculis nitentes, sanos deindè, & nullius auxiliij indigentes discesse. Omnes contractiones, etiam ex vulnere, nervis, aut iuncturis oblaesis mirificè iuuat; ob quam proprietatem ad pedum ac manuum vulnera & distentiones quas sanat artuum nomen & insignia obtinet S. Crucis. Viscerum insuper, ac ventris inflationes, testiculorum tumores prohibet, podagram discutit, omnium tandem valdè Sulphurearum vtilitatem praebet. Hydropicos, & Hypocundriacos mirificè iuuat. Phlegma extrudit. A podagra liberat.

berat . Crassam ablegat pituitam . Maxima cum voluntate ijs aquis aegri vtuntur . Quòd si ad corroborandum vètriculum , calidis intemperantijs succurrendum est per Balnea quae modicum refrigerent , reprimuntq. astrictoria facultate per initia , potus aquae S. Crucis aptissimus habetur , velut aqua in Villa Lucae , & Porretanae .

Subcellarij.

In Auerno ad Cumanae Sibyllae antrum (vt vocant) Subcellariae aquae sunt , quasi ex cella emanantes , dulces , lucidae , & quas coeteris Baianis aquis antecellere medici existimant . Vgolinus Suttillarium vocat . Vulgus *Scaffa budello* . Decocti caponis iuris habet saporem . Capillos prolixos facit (ait Elisius) labia sanat , dentes & gingiuas mundificat , lentiginem , & scabiem remouet ; pulmōni , iecori , spleni , medetur ; ardorem & pondus vesicae soluit , vrinam prouocat , arenulas eiicit , quartanam quotidianam , & tepidas febres sanat , tussim tollit , praecipuè verò stomachum confortat , totumque corpus exhilarat . Post longas febres , & in Phtificis & Hecticis nondum exhaustis , aliquot medici ex medicatis aquis laudant infusus , non febris ratione , cui plerique quoque aiunt naturales Balneas aduersari , sed ad conciliandum robur stomacho , hepati , alijsque nutritorijs , quod in longissimis morbis potissimum primò quaeritur . Ad eam rem maximè eas aquas comprobarunt , quae mediocriter calidae sunt , nec vltra primum gradum siccantes inter quas Petra , Plaga , Iuncaria , & haec Subcellaria ad Baias probantur , quae sanis conueniunt , nec admodum qualitate excedunt temperatas ac dulces .

Ferri .

Ferri mineram , scribit Plinius , metallorum omnium esse largissimam , & vbiq. propemodum reperiri . Ferè semper ali-

per aliquid ferrugineae naturae cum coeteris mineris in hisce aquis reperitur . Sed potissimum in hoc lauacro, quod ferri colorem referre videtur . Idcirco oculos, aures, caput mirifice iuuat, soluitque Hemicraneas affectiones . Aqua ebibita iecori, spleni, ventriculo, renibus, vtero, omnibus interaneis vitijs, à relaxatione ortis, opitulatur . Ex aliqua bituminis participatione pulmoni confert . Siccatur, abstergit, roboratur . Quod si aqua Plagae Romanae quae in Aenaria est (cuius fontes maximo cum labore, & maxima cum aegrotantium vtilitate aperuit Iulius Iasolinus nostra hac aetate medicus celeberrimus) cum ferreae sit minerae, & ferruginei coloris, phlegma falsum deijcit, sanguinem & pruritum oculorum tollit, lacrimas inhibet, gingiuas exesas sanat, dentes firmat, ossium fracturas firmat, & fluxiones sistit; eadem profecto aquas has Baianas effecturas non vereor .

Palumbariae .

Lauacrum Palumbarium, vel crypta Palumbaria dicitur, à Palumbibus ibi nidificantibus . Hoc si quis vti voluerit, à falsis & frigidis caueat necesse est . Cardiaci, arthritico morbo, renibus, oculisque plurimum prodest . Vrinae meatus aperit, oculorum nebulas expellit, stomachi passiones aufert .

Saluianae .

Sic dictas aquas à quadam muliere alij scribunt; alij Siluianam appellant, & Silviae Deae antiquos dedicasse scribunt . Nugae . Salmariam vocat Vgolinus, aitq. eas non permittere, vt menses mulierum vltra suos periodos fluant, & vteri inueteratas affectiones curare . Quamobrem mulieribus plurimum confert, cum etiam steriles foecundet .

Tritulae.

In Baiano littore Balneae, & Sudatorium eodem nomine appellantur. Trictolas, à fricando dictas scribit Blondus, atque indè Tritulas appellatas. Alij sic dictas asserunt, à Tertianæ febre sananda, quæ apud medicos *τρίταιος πυρετός* dicitur. Trifoli alij dixerunt, & monti Trifolinum vinum adscribunt. Vbi vegeta in primis natura ignis, cuius communes causas explicat Vitruuius, qui aut ex sulphure, aut alumine, aut bitumine sub his collibus loca, vario caloris gradu afficiat. *Lib 6. c. 5.* Infrà ad mare calidis abundat aquis, quæ perenni vena, & sub prærupta rupe Balneas efficiant, vbi semota ab imbribus & ventis habentur semper vtilissima. Imaginum ex plaste ibi pictarum aliquot fragmenta supersunt, quæ cuiusque Balneae virtutem exprimebant. *Ardores esse in his locis* (addidit Vitruuius) *etiam hæc res potest indicare, quod in montibus Cumanorum, & Baianis sunt loca sudationibus excavata, in quibus vapor feruidus ab imo nascens ignis vehementia perforat eam terram, per eaque manando in his locis oritur. & ita sudatorium egregias efficit utilitates.* Sudatorium sic in Itinerario à quodam docto viro describitur.

*In primis celfo sita Sudatoria monte,
In tria diuisus Specus est ceu brachia, quorum
Sulphureos extrema tenent fumantia fontes
Solis inaccessos radijs sub rupe cauata.
Ingressu via longa patet, cinis impedit albus
Atque calens mediae prodientes agmine fossæ.
Ingrediendo caue tollas caput, arduus vnda
Fumus agit, totoq. fluunt corpore riui;
Visceribusq. trahens animam vapor aestuat intus.
Sin submissus eas, & cautè lumina serues
(Nam sine luminibus nulli est intrare potestas)
Victor eris. nimium sed non tentare sinistram
Dirat tibi mens sit; necat intus perfectus aer,
Profuit & nulli tacitas quaesisse latebras.*

Cornelius

Cornelius Celsus de eo sic loquitur; *Sudor eius duobus modis elicitur, aut sicco calore, aut Balneo. Siccus calor est, & arenae calidae, & Laconici, Clibani, & quarundam naturalium sudationes, ubi è terra profusus calidus vapor aedificio includitur, sicut super Baias in Mirtetis habemus. Quamobrem Mirteta ad Tritulum fuisse dicunt. Balnei tamen locum penitus ignoramus. Idq. tantum scimus quod Vitruuius, & Celsus scripsere. Quasi mortetum dixerunt, pro funesta mirti significatione. Omnibus tamen aegris lauacrum erat inuisum,*

Sulphura contempti, vicus gemit inuidus aegris.

Morbo Gallico laborantibus plurimum prodest, atque ijs qui capitis fluxionibus afficiuntur. Viris, mulieribusq. statim horis locus datur. Iuuat sudantes colloqui atque canere, dum caloris molestias blandis sermonibus muleire concitantur. Quique dimidia hora sudauerit, strenuus profecto ad eam rem habetur. Trituli Balneas Diuus Hieronymus viduis, virginibusque Christianis vitandas admonuit. Omnium Balnearum virtutes habere dicuntur.

Aquae S. Georgij.

Huius nominis aquas ad Ducciam commemorat Baccius, strenui ac Diui militis nomine insignitas, quae ad foeda vlcera persananda habent facultatem. Ferrea, atque aëra minera nostra haec aqua nitrosa quoque est, lapidem frangens, ad ferrum è corpore eliciendum admirabilis. Sed quoniam subterranea est, quasi $\alpha\tau\gamma\eta$, Georgij nominatam, aliquibus placet.

Pugilli.

Nitrosas hasce aquas esse scimus, eandemque cum proximis habere naturam. Ventris solutionem comptescunt, & hemorroidarum fluores, calidum, aeremque inemperiam

riem remouentes . Qua propter nec à ferro videntur alienae . A longis febribus liberant . Caput & splenem efficacissime adiuuant , eorumque dolores arcent , confortant debiles , & consumpta membra restaurant . A breuitate id nominis sunt affecutae .

Culinae , vel Culmae & Petrolei .

Inter bituminosas Petrolei nomine multae aquarum scatebrae , quamuis & nitro constent , blandè purgantes , subamarae , & graui odore reperiuntur . In Italia multis in locis scatent , & Senis non longè ab Arbia flumine , ibidemq. ad viam maritimam Petroium Castellum , vbi Petroleum emanat . Et Viterbij non procul à fonte Grottae per celebri , calore tactu & essentia temperatae , quapropter pueris , & delicatis naturis perutiles . Multae itidem in Baiano Tripergùlanæ , Solis & Lunae eo nomine celebrantur . Tùm Culma ad Auernum , in quibus tamen maior sulphuris portio dignoscitur , idcirco exiccando valentiores , minusque emollientes . Huius tamen generis aquae absterforiam habent virtutem , omnesq. cutis maculas , pruriginosas simul & ichorosas exiccant . Contractae emolliunt , distenduntque conuulsos nervos , crassa extenuant corpora , fluxiones sistunt , grauedines ac rauedines , & coetera id genus epotae corrigunt . Eodem omnes aquae imbute sunt vapore , quae soporem inducunt , vel caput grauant , sensusq. obtundunt . Habet has bitumen operationes . A monte qui supereminet , ob altitudinem , Culma à Franciotto dicitur , & corruptè Culina .

Solis & Lunae .

Ob aquarum excellentiam quae coeteris praestat , hoc praeclarum nomen paruum hoc Balneolum est consequutum . Per ruinas antiquorum aedificiorum eò descenditur , directumq. inuenitur , & mari occupatum . Sed defossa a-

H

rena,

rena, scatet aqua, sulphuri commixta, quae tamen ferri partes obtinet praecipuas, ac nobilem ex Magnete virtutem, quamobrem infixa spicula ferrea mirificè extrahit. calefacit egregiè, exiccat, atque corroborat. Ruptis, laxatis, fractis mirum in modum confert, & antiqua crurum vlcera compescit. Diuinum hoc appellarunt Balneum cum praecipuè omne guttarum dolorumq. genus tollat, fluentem sanguinem sistat, vlcera fanet, podagram subleuet.

Gibborosi.

Haec inter nitrosas aquas potabilis quidem, ac praeter coeteras in renibus iuuandis efficacissima perhibetur, meatus vrinarios aperiens, abstergens, firmans; arenulas & mures his locis adhaerentes extrudens; fluores muliebres ex locorum imbecillitate maximè sistens.

Episcopi.

Nobile hoc Balneum vel ab aliquo fortasse Episcopo instauratum, vel ad Episcopum Puteolanum pertinens, vel quòd Praelati vtantur plurimum, quibus podagra solet esse familiarior. Roborat stomachum, prouocat appetitum, extrahit ferrum, & omnia membra exhilarat.

Fatarum.

Podagricis quoque vtile & familiare. Stomaco vires addit, nauseam expellit, appetitum prouocat. de quo sic Lombardus,

Confortat stomachum, viuacem reddit opem,

Dat podagrae auxilium, nausea fit procul hinc.

Extrahit absconsum atque latens in corpore ferrum,

Exhilarat nimis hic omnia membra late.

Bracculae.

Ab humilitate, & loci depressione sic dictum. Vgolius

nus Bretolam vocat, fortasse vocis similitudine deceptus. Inter nitratos fontes constituitur, qui tamen aere simul & sulphure non mediocriter participat. Quocirca non adeò soluit ob sulphuris tenacem ficcitatem, temperatè calefaciens. *Ex natura tamen aeris* (inquit Elisius) *grossas fauces subtiliat*, Broncaulas vocant. Rancam vocem ebibita claram reddit; oculis & coeterorum sensuum vitijs opitulatur. Longas febres remouere credunt.

Speluncae.

Sic dictum à Spelunca in qua lauacrum est. A Galeno scriptum tradunt, si quis quinque drachmis huius calentis aquae singulis diebus biberit, in membris quae diaphragmae adiacent, opem & robur comparaturum. Quem tamen locum nusquam in Galeno reperies. Hydropicis, tussi, guttae est adiumento.

Feniculi.

Inter mare mortuum, & Misenum montem, inter agrestes feniculos aqua emanat, cui frutex ille nomen attulit, quae & lippos oculos abstergit, & eorum vlcera sanat, & maculas delet, & oculorum aciem reddit illustriorem.

QVAE PITHECVSIS EXTANT

Et Chirurgiae doctrina, & Balnearum in Aenaria Insula inuentione, Iulius Iasolinus maximam sibi gloriam comparauit. An verò huic viro Aenariam tantum debere dicemus? Orbem ipsum plurimum debere affirmabimus, cui ad sanitatem tuendam, ad depellendos morbos in ea felicissima Insula saluberrimae aquae eius opera patent. Debet quoq. Francisco Lombardo qui eas quas nouerat carminibus illustrauit.

Aquae Fornelli.

Quartanae spuriae, verae, Lienis, Hydropisi, capitisque dolori medentur. Hipocondriacam affectionem, vel mirarchiam incipientem sanant. Calculo laborantibus, & Apoplepticis sunt subsidio. Vesicam aperiunt, podagricis sunt adiuvento, nauseamque stomachi sedant. Astmaticis utiles si tamen parossismo cessante, purgatoque corpore aquas introierint. Aurium tinnitum, surditatem, vertiginem tollit, & paralysim. Quod si coeno utaris tumores pituitosos expellit, articulorum duricies quae reliquae sunt ex vulneribus, fugat frigidam atque humidam intemperiem remouet. Primam substantiam tenuis sulphuris habent, secundam nitri, tertiam salis, quartam aluminis, & quintam ferri. De quibus sic Lombardus,

Quartanae confert, Spleni, capitisque dolori,

Subuenit Hydropi, phlegmaticaeque feбри.

Vesicam reserat, lapidem perfringit, arenas

Educit, prodest mirifice Podagris.

Omnia languentis stomachi fastidia sedat;

Fornelli à furni schemate nomen habet.

Scatet ad D. Petri ad Pantanellum ex montis radicibus.

Fontanae.

Cuique plagae sunt medicamento; & quasi miraculo quodam ex humanis corporibus ferrum eliciunt. Hepati, pulmōni profunt, fractaque ossa mirum in modum trahunt, Scabiem purgant. Capillos nitidos & longos efficiunt, corporumque vires restaurant. Coercent, refrigerant, siccantque. Argentea natura, & aluminosa cum Magnete, terraeque aliqua salis parte, & nitrosa.

Succurrit plagis, ferrum extrahit impete magno,

Pulmoni confert, Hepatis atque malo.

Consumptos reparat citò, prolongatque capillos,

Emundat scabiem, fragmina ab osse trahit.

Casti-

Castiglionis .

Calidissimae ac lucidissimae aquae , quae quamuis aliò perducantur , diutiùs tamen quàm reliquae calorem retinent , atq. in ipsis crassitiem cognoscimus . Sulphur olent , minori spiritu cum frigida fuerit aqua . Potu , & ablutione his utimur . Cùmq. biberimus , intestina purgant , renum obstructions aperiunt , vrinam cient , lumbricos euecant , disenteriasq. remouent . Frigido rheumati , strumosis tumoribus , ventris profunt inflationi . Hepatis auferunt maculas , omniaq. arcent scabiei genera . Aquarum quae Senis , Auinioni , Pisis enascuntur , vim retinere affirmat Baccius in libro de Thermis .

Languentem reficit stomachum , ut benè concoquat urget

Morpheam humano vultu abigitq. Leporam

Visum acuit , cor confortat , plagisq. medetur ,

Ventriculum soluit , prouocat usq. famem .

Speluncae, vel Scrophae .

Quibus sanè aquis suo loco uti non licet, maris enim undae in cuius margine positaе sunt , & nimia caliditas impediunt . Quibusque fluxionibus commodae , neruorumque & articularum doloribus . Frigidis ac flexuosis viscerum morbis Vere praesertim & Autumno aduersantur . Foemorum , artreticum dolorem , tussimque sanāt . In labro (tantum in eo caloris inest) ijs utamur necesse est . Inter sulphureas quarto gradu calidas numerantur .

Aluum subducit , tussim & nephritida pellit ,

Antbritim , Chiragram , Ischiada & Podagram .

Gurgitelli .

Praeclarissimae à medicis hae celebrantur . Sterilibus profunt feminis . Consumpta ferè corpora reficiunt Stomachum recreant . Calculum extrudunt . Hepati subueniunt .

niunt. Scabiem explodunt. Cibi appetentiam reuocant. Ferrum ex humano corpore extrahunt. Atque diuinitus factum videtur vt hisce aquis omnia ferè mala curentur. Et quoniam in summa temperie sunt constitutae, viscerum intemperiem moderantur, gracilia corpora pingua reddūt, & scirrosos tumores a lenta pituita exortos, propulsant.

Hepaticis prodest, à psora purgat, opéξiv

Proritat, ferrum mirificeq. trahit.

Stomachi.

Cum aquis Gurgitelli conueniunt, puriores tamen ac tenuiores quasi ex Stillatorio deductae. Stomachum roborant, phlegma vacuant, purgantq. vterum. Post potionem ad vncias octo, nec dormito, nec aliud quidpiam bibito, aut edito. Biliosis (vt cum Celso loquar) mirificè profunt.

Cum ex aquis Gurgitelli discefferis, iter ad dexteram faciens Orientem versus alia reperies aquas ex radicibus Epomei scatētes claras, pellucas, gustatui dulces, & crassae. Antiquis vulneribus praestò sunt, aluminis vigorem praeseferentes. Morbo Gallico, Aphris, Sporae, Hepati subueniunt, & potione, & ablutione, & fomentis.

Dentium.

Praedominatur aurum his aquis, ferrumq. subsequitur, exilisq. sulphuris vapor. Parua enim huiusce aquae portio, nunquam liquefcere potuit, nisi aquae chimicae auxilio, salis armoniaci parte addita. Dentium dolori, ginguiisq. excarnificatis affert medicinam potu & gargarizatione. De quibus, haec carmina;

Est & ad Occiduam partem quae vertitur vnda

Languentem stomachum quae reparare valet.

Quiq. Orientales spectat calidissimus oras

Fons, Dentem baud vlla parte dolere finit.

Fons

*Fons quoque ad Occiduam plagam conuersus, ocellis
Prodest, & capiti mite leuamen adest.*

*Quam vulgo Sinigalla vocant, podagrae, atque dolori
Iuncturae, Ischiadi praestat opem & Chiragrae.*

Cotti, vel Caiuncarum.

Ex vno erumpunt capite; mox deriuantur. Aes, Chalcantum, sulphurq. redolent. In petrosis rupibus coguntur & ex quadam materia guttae prorumpunt, quae musco, licheni, vel pulmonariae comparatur. Guttam oculorum, gingiuarumque affectiones iuuant, capitisque fluxiones praesertim atque calidas. Visum, auditumque recreant. Astmaticis maximo sunt adiumento; curantq. vulnera igne, aqua, oleo calidis, tùm etiam bombardarum ictibus inflicta.

*Confert affectis arthritide, pondera Splenis
Aufert, inflatum ventriculumq. premit.*

Ferri.

Aqua mediocriter calida, clara tamen dulcisq. sulphur^r olens, quem tamen odorem translata amittit. Potione, ablutione, & gutta est in vsu. Et quoniam ferri naturam continet, roborat viscera, sanguinisque sputum coercet, quod omnibus ferratis aquis contingere scribit Auicenna. Hepatis, renum, vesicae intemperiem moderatur, stomachumque reficiendo, vomitionem retinet. Ictericam, hydropissimam, nocturnas pollutiones, scabiem, & gomorraeam sanat. Podagrae, paralysi, rheumati strumis, putridis vlceribus, articulis, flatui, spleneticis subuenit.

Auri.

Aureae quidem aquae naturae miraculo obseruatione dignae. Cùm enim fons plenus est, aquarum superficies
aureo

aureo velo obducitur, atque ità vt totus fons auro pellucidus conspiciatur; tunc verò maximè cum aquae à Solis radijs verberantur. Quod si quis Balnei virtutem noscere cupit, Auri virtutem non ignoret.

Argenti.

Propè Aureum Balneum, exiguo fonte, nitidis dilucidisq. aquis Argenteum est, quod argentea quoque tela tegitur. Et quae in Auro insunt, in Argento quoque inesse nemo est qui vereatur. Eaque re tantùm differunt, qua & industria & naturae actione differre coguntur.

Calae Vmbrae.

Saliens aqua, quae illicò veluti ex rupe praecipitat. Calida, lucida, dulcis, aeris, aluminisq. mixtione. Capitis, neruorum, articulorumq. morbos soluit.

Colatae.

Calidissimae, quibus linteis abstergendis lixiuij loco mulieres vtuntur. In ipsis oua coquunt, glabrant sues, coeteraque conficiunt, quae calida ad ignem aqua confici solent. Quamobrem caliditate coeteris antecellunt. Excrementa nitida apparent, atque idcirco aliquid aeris ostendunt. Morbos frigidos & humidos; oculorū, aurium, capitis affectiones, tū in ptimis Eemicraniam, pituitamq. expellit. Paralicis, Epilepticisq. medetur. Frigiditas ex memoria superfluitates eijcit. Asmaticos iuuat. Perpetua aestate, tum regnante Canicula prodest. Si qua mulier lacte caruerit, panemq. in hac aqua intinxerit, ederetque lac copiosè prouocabit.

Sinigallae.

Odoratis aquis, lacteo colore, liquidi aluminis mixtione, etsi argillosa ibi terra, cinere, calce, gypso illita. Non
tantum

tantum adultis, viribusq. valentibus, sed etiam puerulis, veluti Balnea Gurgitelli, & Fontanae est vtilitati. Pituitosos morbos, neruorum articulorumq. dolores, membrorum contractiones subleuat. Nullusque morbus est ex busto ad pedes, quin aut prorsus sanet, aut aliqua ex parte leuet. Luto Balnei ad membrorum contractiones sanandas vtuntur.

Bagnitelli.

Exiguum profecto Balneum, sed aurium surditati praesto est. Cuius rei Figuli quotidie periculum faciunt, cum accenso in fornacibus igne, sibilo, surditateque laborare consueuerint.

Fontis retis.

Visceribus, renibus, & vesicae est medicamento. Conuulsiones, scabiem, Lienis morbum sanat. Lentiginēs; impetigines, capitis & stomachi dolorem, oculorum lacrimas, & Egilopas aufert. Visni, & vomitionibus prodest. Phlegma soluit. Lombardus,

*Deterget scabiem, neruos mollescere cogit,
Fit. procul hinc capitis, sit stomachiq. dolor.
Constringit lacrimas, vomitum, pellitq. rigorem,
Phlegma liquat, grauidis est medicina potens.*

Capitelli.

Saltis aquis, sulphureisq. secundo gradu calidis, quae affectiones per cutem serpentes, & scabiem, impetigines, Dothienosq. apud Graecos, sanat.

S. Restitutae.

Calidas habet aquas exiccantes, roborantesq. Podagri-

cis afferunt vtilitatem . Inflationes Hypochondriorum prohibent . Flatuofam congeriem , ventrisq. & vteri tumorem diffoluūt . Cholicos dolores repellūt, albasq. humiditates in mulieribus purgāt . Nemini hoc Balneum, nisi Iasolino cognitum .

S. Montani.

Calidum , falfum , pellucidum, cui fal, fulphur, aes dominatur . Articulorum doloribus, colli praefertim, Ifchiadis, podagris, crurum tumoribus , ftomacho eft valde commodum . Craffos humores diffoluit . Inteftinorum ventum fugat . Mulieribus , quae abortum facere folent , vterum reficiendo , nimis familiare .

Citarae .

Balneum phraeneticis, thenafmo, fterilibus mulieribus, capitis dolori, quartanae nimium confert . Semine viros auget, & mulieres lacte . Conuulfiones, anufque onus deprimit . Vomitionem prouocat, aluumq. ciet potione . Vi- res roborat, & Venerem excitat .

Tinefinum, fterilem, curatq. phrenitida, fpafmo

Succurrit, capitis hinc dolor omnis abeft.

Quartanam delet, mammi lac, teftibus auget

Sperma virum (Iuuenes quod faciunt hodie.)

Agnonis .

Aquis ad littus calidis, falſis . fulphureisq. ſcabiem, furunculos, dotrenas, pſoram, impetigines, pellis aſperitatem tollit .

Soliceti .

Perennibus . calidiſſimisq. aquis, Colatae, & Gurgitelli ſimilibus . Sulphureo odore, ferreo colore . Calefaciunt, & ſiccant vehementer . Morbo articulari, podagrae, renibus

renibus, asmaticis, ossium fracturis, scabiei, vtilissimum.

Gradonis.

Tertio caliditatis gradu, sale & bolo Armeno illitum. Calidis morbis sanandis efficax. Crurum tuberibus vtile, eorumq. peruetustis vlceribus. Dilatatis testiculorum venis, digitorum reduuijs, scabrosis vnguibus salubre.

S. Angeli.

Efficacissimè morbos sanat qui ab aquis Calae Vmbraſchi ſanantur.

Doiani, vel Vlmitelli.

Secundo gradu calidum, tenditq. ad tertium. Eius origo nitrosa, cum aliqua salisgemmae parte, & alumine, immixto chalcante, & bitumine; quae omnia optimè à Stillariorijs dignoscuntur. Guttam frigidam, stomachi rugitum, tinesmum, calculum, renum dolorem, oculorum lippitudinem, anhelitus difficultatem, olentem animam, spleneticos, cordis palpitationem sanat.

Anthritim pellit lepram, stomachiq. rugitum;

Tinesmo prodest, Iliacosq. iuuat.

Spiritui, lippis, quartanae subuenit, arctum

Dilatat guttur, diminuit lapidem.

Liene affectis, πάλιν κρᾶδινς ἔϊται τὰς

Praesto est, pulmoni, è corpore phlegma fugat.

Fons Nitrolis.

Extremo Epomei ventre scatet; & quamuis calida aqua, cùm tamen friguerit, coquendis cibis, potusq. vsui commodior. Refrigerat, temperatq. viscera, quapropter mulieribus optima corporis habitudo, quae in illis saepius lauant.

Succellarij.

Balneum vesicae morbo, vrinae ardori, calculo, tines-

mo, lentibus febris medetur. Laetitiae & animi tranquillitati confert. Tussim expellit. Stomachum roborat. Scabiem sanat. Labiorum fissuras conglutinat. Dentium, gingivarum, oris affectiones propulsat. Mulierum faciem purgat, liuorem sanguinis, quem verbera induxere auertit.

Tinesimo, intermittenti confertq. πικρά, πικρὰ,

Vesicae prodest, phlegmaticaeq. febrī.

Prolongat crines, & frigida membra resoluit,

Deterget vultum, liberat à scabie.

Plagae Romanae.

Quod non longe abest à Succellario, in horti qui fructuum plantarumq. amoenitate, Nympharium, appellantur, aeris, ferrique mixtura. Aquis primo gradu calidis, tantae tenuitatis, vt cum alio transferuntur, subtiliores soluantur partes, virtutemq. amittant. Oculos iuuat. Visus aciem acutiorem reddit. Crurum fracturae confert, calumq. fractis ossibus inducit. Capillos decedentes, dentesq. mobiles firmat. Vertigini, calculo, sterilitati, menstruo, asmaticis, cordis, pulmoni, tussi, cholicis doloribus, hemorrhoidibus praesto est.

Pituitae confert salsus quam procreat humor,

Pruritus ex oculis tollere fama refert.

Lacrimulas cohibet, teneros confortat ocellos,

Expurgat bilem, pectora laeta facit.

Cordi imbecillo robur mirabile praestat;

Gutturis amplificat πνέμονος atque sinus.

Tussim sedat, neue cadant firmatq. capillos;

Pruritus, & crurum fragmina sanat aqua haec.

Nitrosi.

In eadem plaga, Balneum calidissima aqua emanās. Scabiem & pruritus ab atra bile, & pituita proficiscentem sanat. Iuuatque renum dolores, & Ictericos. Aluum ciet.

Debili-

Debilibus vires addit. Rheuma & tussim remouet. Genit-
taliū quoque pruritum explodit.

Pblegmate pruritum fugat aut ex bile μελαίνῃ,

Nephritis, tussis, sit procul hinc scabies.

Ventriculum soluit, consumptos recreat artus,

Subuenit Ictericis, rheumaticisq. malis.

Saxi.

Semper incognitum. Alterum inter saxa morbo articu-
lari frigido, alterum propè littus, calido, idoneum.

Sunt duo, quorum vnum gelidae est medicina podagrae,

Ἄλλο δὲ τῆς θερμῆς φάρμακον ἐλλογιμον.

Hortorum Pontani.

Potu renū dolores, ictericos, hypocondriacos, atram
bilem, impetiginesq. arcet. Sunt & aliae passim aquae, aut
inter vepres & saxa, aut inter terrae aggeres obrutae. Qua-
rum aliquando, vt coeterarum, virtus alicuius industria e-
nitebit.

Ebolitani Vatis carmina de Balneis propono. Neque
verò syllabarum quantitas quaerenda est, cū rerum tan-
tū naturalium quaeramus auxilia. Imaginis rugas fūco
noluit auctor implere; Nos eam tantūmodo amemus sim-
plicitatem. Sic in veteri manuscripto Codice.

INCIPIUNT NOMINA ET VIRTUTES

Balneorum.

Inter opes rerum Deus est laudandus in illis

In quibus humanae deficit artis opus.

Res satis est dictu mirabilis horrida visū

A tormentorum prouenit aede salus

Nam quae defunctos aqua feruens punit in imis

Haec

*Hæc eadem nobis missa ministrat opem
 Coetera cum rebus curantur regna, syropis,
 Balnea quæ curant, terra laboris habet
 Vos igitur quibus est nullius gutta metalli
 Quærite quæ gratis auxiliantur aquis
 Quarum virtutes & nomina maxime Caesar
 Praesens pro vestra laude libellus habet.*

De Balneo quod Sudatorium dicitur.

*Absque liquore domus benè sudatoria dicta
 Nam solo patiens aere sudat homo.
 Antè domum lacus est ranis plenusque colubris,
 Non fera non pisces inueniuntur ibi.
 Ingreditur si quis paruae testudinis umbram
 More nivi tactæ corpora Sole madent.
 Evacuat chimos, leue corpus reddit, in ipso
 Quous apposita est vase calescit aqua.
 Hæc aqua languentes restaurat, & ilia sanat,
 Ulcera deficcat sub cute, si qua latent
 Hac te Germanus Capuae caput aede repertum
 Hac sacra Paschasij pascua te retulit.*

De Balneo quod Sulphetara dicitur.

*Mollificat nervos lauacrum de sulphure dictum,
 Cessat in hoc scabies, infectaq; membra nouantur,
 Impregnat steriles, capitis, stomachiq; dolores
 Destruit, & lacrimas in lumine stringit aquosas
 Ad vomitum prodest, oculos bene reddit acutos,
 Pblegmata dissoluit, febrem cum frigore tollit,
 Praesertim si preueniat purgatio, terna
 Intrabis securus aquas, nam corpora pura
 Quam semel accipiunt seruant sine labe salutem
 Inspirant quocunque modo, non Balnea culpes
 Effectum virtutis ama, nam saepe videmus
 Quod fugiunt nares, fugat licet à corpore morbos.*

De Balneo quod Bulla nuncupatur.

*Est aqua quae bullit, & ob hoc benè Bulla vocatur
Humani quantum Bulla timoris habet.*

Vt rogi inspirat saxis crepantibus intusi

Sic locus ignitus corda fragore mouet

Quam metuenda magis tanto, magis utilis aegris

Si studeat in ea saepe lauare caput.

Et si fortè carent quo possunt membra lauare,

Alterius curent sumere fontis aquam.

Haec virtute loci praestet calefacta salutem

Luminis antidotum, seu medicina potens.

Haec caput emendat, matricem purgat, & inguem

Liberat, & splenem, congruè purgat epar.

De Balneo quod Astrumis dicitur.

Dentibus Astrumis prodest, quos reuera relaxat

Hic redit ad solitum si cadat vna locum.

Faucibus apta satis brancos ex rheumate passis

Et laesis oculis haec aqua praestat opem

Pulmonem recreat quem tussis causa fatigat,

Inflamat corpus cui dominatur aqua

Incitat os dapibus, stomachi fastidia tollit

In multis aufert rheumatis omne malum

Pigriciem tollit, membrorum pectora lenit

Vocem ad obsequium pectoris aptat iter.

Saepius inde solet multis occasio nasci

Ne fluat à summo vertice pblegma vetat.

De Balneo quod Iuncarae dicitur.

Balnea Iuncarae, quae sunt in littore ponti

Pro sunt consumptis, ni sit adusta cutis

Pectoris ammissas reparant in corpore vires

Laetificant animos, gaudia sumpta fouent

Quae veniunt per se mentis suspiria tollunt,

Et facient alacres in muliere viros.

Efficiunt

*Efficiunt veneris renes ad praelia fortes
 Confortant stomachum, lumina laesa iuvant.
 Quas hominum certus febres interpolat usus
 Annihilant, nec non trisie medetur epar
 Talibus usus aquis discrimina nulla timebit
 Quae quandoque solent extenuare cutim.*

De Balneo Plagae, quod Balneolum dicitur.

*Inter aquas pelagi propè litus sub pede turris
 Magnus in effectum fons breue nomen habet
 Balneolum dictum tantae virtutis amoenum,
 Vt patiens illic sentiat esse Deum
 De morbo quocunque doles, seu caumate quouis
 Lotus aqua tali tempore liber abis
 Et caput, & stomachum, renes & coetera membra
 Confortat tepidam si renouabis aquam.
 Haec prodest oculis oculorum nube fugata,
 Consumptos reficit quos tenet aegra fames,
 Materiam tritei consumit & amphimerine
 Hoc gens plus alijs Parthenopensis amat.*

De Balneo quod Foris cryptae dicitur.

*Limpha Foris cryptae iuxta maris abdita litus
 A stomacho pellit debilitatis onus
 Sed nocet hydropicis cum sit dulcissima potu
 Vim consumendi non habet unde nocet.
 Leuiter ignitos assueto refrigerat artus,
 Pulmonem laesum sanat, & inde iecur
 Pectoris antidotum tussis medicamen amicum
 Desiccata febris caumate membra rigat
 Ipsa per occultos telluris ducta meatus
 Subuenit aegrotis, est quibus aegra cutis
 Vt dicunt veteres satis est mirabile dictu
 Ipsa Foris cryptae Bullae ministrat aquam.*

De Balneo quod de Petra dicitur.

Cui Petra dat nomen mirum reor esse lauacrum
 Quod lapidem possit frangere nomen habet.
 Et caput à multis facit absentare querelis
 Auribus auditum praestat, & addit opem.
 Lumina detergit tunicis maculosa fugatis,
 Pectoris, & cordis esse medela potest.
 Vessicas aperit, à renibus vrget arenam.
 Huius aquae potus interiora lauat.
 Quamplures vidi calidam potare petrosos,
 In quibus vrina post lapidosa fuit.
 Vos igitur quibus est durus cum pondere miellus,
 Assiduus talis potus aquae liberet.

De Balneo quod Calatura dicitur.

Pulmoni praebet solitam Calatura quietem,
 Indè fugat tussim quam graue rheuma parit.
 Haec stomacho vires reparat, vim praebet edendi,
 Saepius assumptas decoquit illa dapes.
 Declarat faciem, mentem corroborat, & cor
 Laetificat, turpes radit ab ore notas.
 Formidat quicumque phthisim cum tusse paratam,
 Vt timor abscedat saepius intret aquam.
 Inueterata suis sicut radicibus arbor,
 Nequaquam poterit absque labore capi,
 Non aliter veteris serpentia semina morbi,
 Possunt euelli qualibet arte semel.

De Balneo quod subuenit homini.

Ex re nomen habet lauacrum quod subuenit aegris
 Nominis effectum gaudet habere sui.
 Purgat pulmonem, deponit pondera splenis,
 Depurat tumidum certa medela iecur.
 Tristitiae causam gelido de pectore tollit,
 Humores veteres ventris haec vnda leuat.

*Defectum stomachi tollit, confortat & ipsum.
 Ut solito solitas appetat ore dapes
 Vocem sincerat, genus aufert omne doloris
 Talis amatoris recreat unda suos.
 Haec etiam deponit onus longaeuae podagrae
 Hic datur articulis induciata quies.*

De Balneo Sanctae Anastasiae.

*Adscribunt homines tibi Anastasa lauacrum
 V sibus humanis commoda multa facit.
 Corporis ingrati recreatos efficit artus
 Virtutes etiam corporis unda nouat
 Res miranda quidem. quicumque cauabit arenam,
 In medio fossae feruida manat aqua.
 Illa recens in fonte suo symptomata tollit.
 Languidus ardorem si patiatur aquae.
 Fonte relicta suo nihil affert utilitatis
 Haec eadem prodest frigida facta parum
 Qui petit ergo suo cito de languore iuari
 Sentiat auxilium si renouabit aquam.*

De Balneo quod Cantarellus dicitur.

*Inter aquas pelagi aqua feruens manat & ipsa
 Nè fluat in pontum fictile claudit opus.
 Cum mare feruescit locus oppugnatur ab undis,
 Vix aliquis poterit aeger adire locum.
 Cantarus humana fruitur virtute medendi,
 Nam plagas veteres consolidatque novas
 Vlcera quae patitur cutis ex humoribus extra
 Cantarus astringit, lumina clara facit
 Sanguinis obturat venam quandoque fluentem,
 Subuenit arthriticis, fit medicina pedum.
 Vtilis ad febres, & frigora; sed tamen huius
 Vsus aquae lateri continuatus obest.*

De Balneo quod de Prato dicitur.

Est aqua quam populi de Prato Balnea dicunt ,

Creditur à multis hoc Ciceronis opus

Est via difficilis quae ducit ad inferiora ,

In quibus inuenit quam petit aeger aquam .

Haec bene visceribus fertur conferre molestis ;

Alleuiat corpus quod grauat humor iners .

Dicunt & duros mirè mollire lacertos ,

Et caput & scapulas ad sua iura trahit .

Lipposos oculos declarat , & ulcera tergit .

In toto pariter corpore praestat opem .

In sudore manens fugiat pro tempore frigus

Nec potum sumat dum sua membra calent .

De Balneo quod de Arcu dicitur .

Dulce satis lauacrum quod nomen sumit ab Arcu

Virtutem magnae commoditatis habet .

Haec aqua consumptos restaurat corporis artus ,

Confortat stomachum , arida membra rigat .

Si quis in extremis patitur , festinet ad undam .

Omnia ne dubitet interiora iuuat .

Non tamen ijs prodest tumidis quos sarcina ventris .

Aggrauat , atque dolet splene tumente iecur .

Rem loquor expertam , proprio quam lumine vidi

Teste mihi populo , quae scio certa loquor

Vidi consumpto tantum cum pelle relicto

Tempore non longo restituisse cutim .

De Balneo quod Tripergula dicitur .

Est lacus Australis quo portas Christus Auerni

Fregit & eduxit mortuos inde suos .

Haec domus est triplex de iure Tripergula dicta

Vna capit vestes . Altera seruat aquam .

Vtilis vnda satis , multum sudantibus , aufert

Defectum mentis cum grauitate pedum .

*Haec stomachi varias facit absentare quacrelas .
 Flebile de toto corpore tollit onus .
 Debilis atque piger quibus est non multa facultas ,
 Consulimus tali saepe fruatur aqua .
 Huius amator aquae symptomata nulla timebit ,
 Incolumi semper corpore laetus erit .*

De Balneo quod Rainerij dicitur .

*Balnea Rainerij quae corpora putrida radunt .
 Est quorum salsi pblegmatis hostis aqua .
 Si sanie , aut scabie pressus celer illa subintret ,
 A sanie quavis exteriora lauant .
 Infectam mundare cutim quicumque laboras ,
 Vtere Rainerio , de cute sanus eris .
 Ne tamen incurras iterum discrimina morbi
 Terribiles Trituli sanus adibis aquas .
 Vidi quamplures defastidire lauacrum ,
 Fecerat hoc hominum pingue putredo putens .
 Rainerij refrenat aquas aqua frigida stagni ,
 Felix perpingues euacuabit aquas .*

De Balneo quod Palumbarae dicitur .

*Cripta palumbarum fuit quia grata palumbis .
 Vel quae quod lumbis fertur obesse parum .
 Vnda palumbarum laesos cum vertice renes
 Sanat , & urinae sumpta recludit iter .
 Ex oculis nebulas , ab auribus excutit Euros
 Cardiacam tollit , artheticamque fugat .
 Et maiora facit si scis seruare dietam .
 A salsis caueas . frigida quaeq. fuge .
 Argentis vitabis aquae consuescere potum ,
 Vtere limphato quod parit vna mero
 Crede mihi quod aquae faciunt , faciuntq. syrapi ,
 Haec , benè seruetur sola dieta facit .*

De Balneo quod de Ferris dicitur.

*Antè domum vatis lacus est ibi dictus Auerni,
 Grande, ruinosum, praeminet artis opus.
 Hoc lauacrum Ferri, quod habet ferruginis instar.
 Dicitur umbrosum, sed caret vnda domo
 Si quis hemicraneum patitur quandoque dolorem,
 Siuè supercilij, saepiùs intret aquam.
 Cum vitio capitis nubem caliginis aufert,
 Tollitur ex oculis sanguis, ab aure sonus
 Si quis aquae talis vires cognosceret aeger
 Collyrio nunquam laesus haberet opus.
 Pannosos oculos sincerat, & effetat aures,
 Congaudet capiti, cellula trina suo.*

De Balneo quod dicitur Saluiana.

*Salvia diua parens inuenit fortè lauacrum.
 De proprio tribuit nomine nomen aquae.
 Siccat matrices quouis humore grauatas.
 Impregnat steriles, fructificare facit.
 Menstrua si forsàn fugiant inuita redibunt.
 Et facit hoc lauacrum ne sine lege fluant.
 Quas patitur matrix causas haec temperat aegras.
 Vndè queri posset foemina causa perit.
 Vos igitur steriles nouaeque insignia prolis
 Ni vetet annosi temporis aegra dies.
 Tam vir, quam mulier, te Saluiana frequentes
 Tam vir, quam mulier, frigidus esse potest.*

De Balneo quod Tritulus vocatur.

*Est locus antiqua testitudine ductus in aluum
 Rupe sub ingenti celte cauata domus.
 Plena figuratis morborum conscia formis,
 Ad quid aquae valeant, quaeque figura notat.
 Res miranda satis, satis est horrendaque visu.
 Sic veniente die mittitur vnda semel.*

Haec eadem

Haec eadem partim primum petit aequora, partim
 Extenuata fluens refluit unde venit,
 Et plus quam dubium Bethsaida quae semel anno.
 Vni praestabat mota salutis opem.
 Haec aqua quotidie quam multos mota medendi.
 Rheuma fugat, stomachum roborat. atq. Caput
 Liberat hydropicos. hinc omnis gutta fugatur.
 Phlegmaticis prodest, febricitare vetat.

De Balneo quod Pugillus dicitur.

Cum maris unda tumet, tanti vacat unda Pugilli
 Pro statione loci tam breue nomen habet,
 Est iter obliquum paruum quod ducit ad undam
 Vix hominum septem creditur illa capax
 Ani tollit onus, ventrem cessare solutum
 Cogit, & hydropicos attenuare potest.
 Si patitur cum splene caput, cum frigore corpus
 Februerit, certam sentiet aeger opem,
 Quid de te referam satis ammirande Pugille?
 Quod proprio vidi lumine testor ego.
 Aridus usus aqua baculis adductus amicis,
 Discessit sanus non ope victus egens.

De Balneo Sancti Georgij.

Est aqua quae poterit bene tunc Georgica dici,
 Abdita telluris vena ministrat aquam.
 Qua nullus poterit flamma non indice fungi.
 Nam via sub terris plena timore latet.
 Quantum mens hominis timet ingrediendo lauacrum,
 Mirificam tantum laeta relinquit aquam.
 Haec lapidem frangit, urinam soluit ad usum,
 In multis prohibet articulare malum.
 Scissaq. si crura, si pes, si brachia, si frons
 Aegrotant, sanctis his releuantur aquis.
 Hoc bene contestor, quidam cum mingere vellet,
 Euomit lapides virga coacta duos.

De Balneo Imperatoris ꝓ Sol & Luna dicitur .

*Caesaris est lauacrum quod Sol & Luna vocatur,
Sicut Sol stellis praeualet istud aquis.*

Omne genus guttae tollit, genus omne doloris,

Fistula ni violet viribus ossa suis.

Subuenit antiquae lauacrum Regale podagrae,

Ni faciat fractos inueterata pedes.

Sed tamen ignorat ubi sit tam nobilis unda,

Obruit antiqua fortè ruina locum

Vos igitur quos longa dies fastidit & aetas,

Quos tam longaeuos nutrit aduersa polis,

Demonstrate locum qui Sol & Luna vocatur.

Vtilis à multis aedificandus erit.

De Balneo quod Arculus dicitur .

Qui breue nomen habet, magnae virtutis habetur

Arculus à flammis, quod calet, arcet hepar.

Rheumatis & stomachi vitium de corpore tollit,

Liberat à multa frigiditate caput.

Lyncaeis oculis ophthalmia sana ministrat

Deficit arculea triste papauer aqua.

Et si fortè fugit vigilantia lumina somnus.

Arculus adducto membra sopore fouet.

Balnea quae Trituli, limpha quoque Culma ministrat,

Arculus in multis hoc operatur idem,

Quamuis inter aquas Trituli sit gratior unda.

Consulo ne dubites hoc breuiore frui.

De Balneo quod Gimborosus nuncupatur .

Est aqua mirandi nimium noua dicta lauacri

Gimborosorum nomine nomen habet.

Penè per octo gradus patiens descendit ad undam,

Circinat hic & aquas per latus omne gradus.

Ilia componit, vacat in matrice dolorem.

Sanguineos fluxus in muliere vetat.

*A superis exire cruor prohibetur, & idem
Ne fluat insolitis inferiora fugat.*

Vexicam curat quotiens urina negatur.

Nulla patet mulier renibus esse salus.

Si lapides, vel sipilos patiantur arenam.

Quolibet à morbo membra grauata iuuat.

De Balneo quod Culma dicitur.

Inter aquas alias mirabile Culma lauacrum

Cuius ad accessum non via recta patet.

Immò per obliquum modicis acceditur undis.

Monstrat iter dubium praeuia flamma tibi.

Vnda latens intus sudorem prouocat intus,

Et facit ad neruos quos graue rheuma grauât.

Luminibus lumen reddit, vestigia claudis,

Passio ni fuerit inueterata diu.

Rem loquimur certam, non est incognita multis,

Culma nocet sanis, morbida membra iuuat.

Hanc igitur caueat, qui non eget arte medendi.

Nam qui fortè petit vitet in amne moram.

De Balneo quod Petroleum dicitur.

Non procul à Culma locus est qui fundit oliuum,

Quod lauacrum multum commoditatis habet.

Hoc vitium leprae, genus hoc serpiginis omne

Tollit, & à stomacho phlegmata salsa fugat.

Extinguit cholera, grossos subtiliat artus,

Exbilarat tristes, cor benè reddit ouans.

Noxia de gelidis depellit frigora membris.

Omnia laetantur membra vigore suo

Cuiuscumque genas nigra si morphaea notatur,

Haec aqua rugosas delet ab ore notas.

Virtutem lauacri demonstrat nomen oliui,

Hoc oleum praestat quod petra sudat aquis.

De Balneo quod dicitur Spelunca.

Vltima thermarum quae laude Spelunca medetur.

Cuius aqua poterit simplice nemo frui.

Ingenio faciente modum capit vnda caloris,

Sic intrabit aquas ingeniosus homo.

Cuiuscumque velit perimit symptomata guttae.

Hic fugat hydropisis, tussis in aqua perit.

Vt Galenus ait; si dragmas quinque talenti

Quisquis quotidie sumere curet aquam,

Et super & subtus quae sunt dia flamma medetur.

Pblegmatis excludit quod nocet omne genus.

Non domus erroris, non est Spelunca latronum,

Crypta salutare[m] continet intus aquam.

De Balneo quod Succellarium dicitur.

Est succellarium lauacrum quod competit igni.

Lucida quo multum, dulcis & vnda manat.

Pondus & ardorem vesicae soluit in aegris.

Prouocat urinam tentio cuius obest.

Aëlis oris varij morbi curantur in vnda,

Dentes, gingiuas, mundificando iuuat.

Passus in aestate triteum, vel quotidianam.

Aut typicas febres, sentiet eius opem.

Pulmonem, iecoris vicio splenisque medetur.

Tussis ob hoc lauacrum pectore pulsa fugit.

Appetit & stomachus ista perlatus in vnda.

Nam benè digestus redditur indè cibus.

Lentigo, scabies, turpis pannus faciei.

Hac curantur aqua quando lauantur ibi.

Reddit prolixos & claros ipsa capillos,

Et totum corpus exhilarando iuuat.

De Balneo quod Braetula vocatur.

Faucibus antidotum bene confert Braetula grossis.

Et vox si fuerit rauca sit apta sono.

Si patitur capitis puppis vel prora dolorem .
Si dolet oppressum splene tumente iecur .
Sique caligo diem noctis germana minorat ,
Omnibus his vitij's Bractula praestat opem .
Quartanam perimit , nec non necat Amphimerinam .
Hic intermissae febris origo perit .
Vos igitur quibus est odiosa planetica febris
Huius si sapitis quaerite fontis aquam .
Non opus est intrare semel . nam Balnea quanto
Quis magis ingreditur , tam magis ipsa iuuant .

De Balneo quod Fons Episcopi dicitur .

Nomine fons talis fruitur quod epreat aegris
Vel quia Pontificis causa reportat opus .
Arthetis profit . tollet genus omne podagrae .
Hunc habet expertum Pontificale decus .
Et quia Praelatis requies , requies nocet atque perapsis ,
In se deficiunt saepe dolore pedum .
Cum constipatur cibus intercluditur intus .
Indè dolent ventres ilia tensa crepant .
Pontifices fontem perquirite Pontificalem ,
Vtilis est vobis Pontificalis aqua .
Indulgete cibus ne digestiua fatigent
Quae morbi causa saepius esse solent .

De Balneo quod Orthodonicum dicitur .

Haec aqua mirabilis consumptis est bona valde .
Restaurat corpus si capit usus aquae .
Si fecit extremum subtili corpore febris
Intret aquam talem , saepè frequentet eam .
Confortat stomachum . nausea postq. fugat .
Omnibus ephimeris valde paratur aqua
Haec manet absconsa telluris limpha meatu .
Hanc non habere potes absque labore graui .
Cum flatur australis ad limpham nemo subintret .
Nam via sub terris plena timoris habet .

Vos igitur

*Vos igitur cunctis ad quos est hectica febris.
Cito liberamini fonte fruendo tali.*

De Balneo Sanctae Luciae.

*Non minus hoc lauacro perutuntur Parthenopenses,
Nam locus est ipse habitatio semper aegrorum
Vel quia non sapiunt virtute lauacri lucis.
Haec necat ab oculis nebulas & profit ad aures
Catharatam tollit si non sit inueterata.
Auribus ad sonitum praestat magnamq. medelam.
Migraneis prodest qui tempore longo laborant.
Fonte relicta nihil aqua confert utilitatis.
Crebrò renouetur limpha subente noua
Et vidi quendam de lumine stare priuatum.
Tempore non longo restituisse visum
Istis consulimus saepe fruantur aquis.*

De Balneo quod Scrupha vocatur.

*Multi mirantur huius de nomine lymphae.
Ignorant causam de Scrupha quare vocatur.
Nam fuit inuenta lauari hac semel vnda.
Vel quia ad scrophulas est medicina bona.
Mundat & consolidat scabiem cum chimine lepre
Talibus vsus aquae scabies quaecumque medetur.
Tollunt petigines quae fiunt pblegmate salso.
Haec valet arthriticis, & confert atque podagrae.
Ad pondus ventris mire iuuare scias.
Maximè si fuerit haec stiptica post medicinam.
A falsis caueat legumina nullaue sumat
Vtilis est multis aedificanda scitur.*

De Balneo Sanctae Crucis.

*Hoc lauacrum Crucis satis est laudabilis vnda.
Iam quibus podagra condominata fuit.
Confortat nervos, & pblegmata pellit ab ipsis.
Prodest hydropicis quae fit ex pblegmate salso
Ipsam consumit Splene tumente iecur
Ventricibus vnda iuuat quibus hypochondria grauat.*

*Ad guttam frigidam nervis intus remanentem.
 Frequentent lympham quae crescit deuacuata.
 Hoc lauacrum vidi quendam crebro visitare.
 Qui minimè poterat ad ora porrigere manus.
 Tempore non longo limphae virtute fruendi
 Teste mihi Christo sanus & hinc redijt.*

*Suscipe sol mundi tibi quem praesento libellum.
 De tribus à Domino tertius iste venit.
 Primus habet partes ciuilis in arte triumphi,
 Mira Federici gesta secundus habet,
 Tàm loca, quàm vires, quàm nomina penè sepulta.
 Tertius orbatas iste reformat aquas.
 Caesaris ad laudem nos scripsimus ecce libellos.
 Firmius est verbum quod stat in ore trium
 Si placet Annales veterum lege Caesar auorum,
 Semper in Augusto nemo Poeta fuit.
 Ebolei Vatis Caesar reminiscere vestri,
 Vt possit nati scribere facta tui.*

F I N I S.

Ab Antonio Ianuario Ladislai Regis familiari accersitum fuisse Notarium Dionysium de Sarno, ipsemet testatur, qui publico diplomate scriberet apud Regem marmoream esse tabellam Puteolis in loco, qui, *Tre Colonne*, dicitur repertam, in qua Salernitanorum Medcorum, qui Puteolanas Balneas euerterant, huiusmodi memoria erat,

Ser Antonius Sulimela, Ser Philippus Capograssus,
 Ser Hector de Procita famosissimi Medici Salernitani
 supra paruum nauim ab ipsa ciuitate Salerno Puteolos
 transfretauerunt cum ferreis instrumentis inscriptiones
 Balneorum virtutum deleuerunt, & cum reuerterentur
 fuerunt cum naui miraculose submersi.

B A L N E A R V M C A N O N E S.

Medice,

Naturales Balneas experientia cognoscito.

Corporis affectiones optimè explorato.

Si quid erit superuacuum expurgato.

Aetatis, sexus, virium, rationem habeto.

Ab vtentis temperie, tolerantia, consuetudine, normam sumito.

Certos dies ne praefinito, sed necessitas & robur terminus esto.

Aegroti ad Balneas accessuri,

Incommoda in itinere cauento.

Commodas Balneas eligunto.

Infalubrem spiritum certis anni temporibus in Balneis mineralibus praesciunto.

Hiemis algores, aerisq. intemperies, ab ijs vos arcento.

Dierum delectum habento.

Imbecilles, biduò saltem quiescunto.

Altero biduo cùm peruenire licuerit, quietem seruanto.

Balneas ingressuri,

Vere ineunte, & per aestatem, per totum aequinoctium lauant.

Sole ab ortu ineunte, & à vesperis ad Occasum trium horarum instar declinante, Balneas ingrediuntor.

Praeparationem, si opus fuerit, reiteranto.

Aluum deiiciendum adhibita quoque arte, curanto.

Aquas, non nisi facta concoctione, ineunto.

Corpus exercitatione antè lauationem non incendunto.

Varias Balnearum aquas vitanto.

Cum ingressi fueritis,

Animi hilaritatem amplectuntor.

Quantum

Quantum robora patiuntur , toleranto .

Suauiter vosmetipsos componentes, tacento .

Ne praeuaricantor .

Ad humeros cunctanter , vt caliditatem toleretis , vos immerguntō .

Donec digitorum pedes rugas contraxerint , vel sudor circa frontem apparuerit , lauanto .

Si bis die innatare cupieritis , à matutina innatatione , ad vespertinam , & à prandio ad coenam , octonae horae intercurruntō .

Ex aquis egredientes .

Statim ad cubiculum vestimentis curiosè inuolutis acceduntō .

Contractam humiditatem linteis calidis exsiccantō .

Per horam plus minus in lecto sudanto .

Indè paululum ad conceptam ex Balnei calore inflationem ambulanto .

Mox si manè fuerit prandento ; si vespera coenanto .

Alimenta boni succi capiuntō .

Panem benè fermentatum comeduntō .

Pulmentaria ex farina abdicantō .

Vinum mediocris substantiae, minùs austerum, neque dulce bibuntō .

Omnia aquae pocula fugiuntō .

Reliquis rebus, etsi interdictis, electis tamen, parcè vtuntor .

Crapulam & ebrietatem vitantō .

Consueti cibi modum ne transgrediuntor .

A prandio nullo pacto dormiuntō .

Venerem longiùs ablegantō .

Sic deinceps aegroti viuant , vt iterum ad Balneas accedere non compellantor .

INDEX.

Indicem Balneis ab Ebolitano descriptis praefixit Arnaldus à Villa Nova illustris sua aetate Medicus. At quoniam Pithecusanis addidimus aquas, indicem amplificare non dubitauimus.

- A** Nui, Subueniunt aquae Pugilli. Citarae.
 Anginis, Astruni.
 Apopleticis, Furnelli.
 Appetitui, Episcopi. Subueni homini. Fatarum. Gurgitelli.
 Arenulae, Subcellarij. Gibborofi. Fornelli.
 Articulis S. Luciae. Bullae. Scrophae. S. Crucis. Palumbariae. Speluncae. Dētium. Fornelli Calae Vmbraſchi. Ferri.
 Auribus, Bullae. Caiuncarū. Colatae. Palumbarū Petre. Amphimerinae, Balneoli. Bracculae.
 Ardori, Subcellarij. S. Anastasiae.
 Anhelitus difficultati, Vlmitelli.
- B** Ilios, Stomachi, Brachijs, S. Georgij.
- C** Apillis, Fornelli. Subcellarij. Plagae Romanae.
 Capiti, Bullae. Iuncariae. Petrae. S. Luciae. Pugilli. Fornelli. Calae Vmbraſchi. Fontis retis.
 Chardiacaе, Palumbariae.
 Cicatricibus, Rainerij.
 Claudis, Culmae.
 Cordi, Petrae. Colaturae. Tripergulae. Petrolei.
 Chiragrae, Speluncae. Dētium.
 Contractionibus, S. Crucis. Colatae.
 Conuulsionibus, Citarae.
 Cruribus, Solis & Lunae. Gradonis. Plagae Romanae.
- Cholicis doloribus, S. Restitutae.
 Cordis palpitationi, Vlmitelli.
- D** Ebilitati, Subsidij hom, Prati. Arcus. Tripergulae. S. Nicolai. Pugilli. Fatarum. Fornelli. Fontanae.
 Dentibus, Astruni. Ferri. Dētium. Caiuncarum.
 Disenteriae, Castiglioniis.
 Diaphragmati, Speluncae.
 Dothienis, Capitelli.
- E** Piplepticis, Colatae.
- F** Aucibus, Astruni.
 Ferro eliciendo, Cantarelli. Fatarum. S. Georgij. Solis, & Lunae. Episcopi. Fontanae. Gurgitelli.
 Fluxionibus, Ferri.
 Fluoribus muliebribus, Gibborofi.
 Frigidae intēperiei, Fornelli.
 Foemoribus, Speluncae. Dētium.
 Flatui, Ferri. S. Restitutae.
 Febribus,
 Chronicis, Iuncariae.
 Errantibus, Orthodon.
 Hecticis, Subcellarij.
 Longis, Pugilli.
 Phlegmaticis, Fornelli.
 Pituitosis, Petrae.
 Tepidis, Subcellarij.
 Fronti, S. Georgij.
 Fluxu, Gibborofi.
 Fistulae, Cantarelli.
- G** Inguis, Ferri. Dentiū. Caiuncarum.
 Gomorraeae, Ferri.
 Guttis, Solis & Lunae. Tritulae. Speluncae. Gibborofi.
- Doiani.
- H** Emicranee, Ferri.
 Hemorroidibus, Pugilli.
 Hepati, Ferri. Petrae. Arculi. Subcellarij. Fontanae. Castiglioniis. Gurgitelli.
 Hilaritati, Episcopi.
 Hydropicis, S. Crucis. Speluncae. Fornelli. Tritulae.
 Hypocundriacis, S. Crucis, Speluncae. Fornelli. Foris cryptae.
- I** Ctericis, Plage Romanae.
 Iecori, Foris cryptae, Ferri.
 Interioribus, Petrae. Arcus. Castiglioniis.
 Impetigini, Fontis retis. Capitelli. Rainerij. Agnonis.
 Interaneis vitijs, Ferri.
 Iliacis, Gibborofi. Episcopi.
 Ischiadi, Speluncae. Dentiū. S. Montani.
- L** Acrimis, Ferri. Fontis retis.
 Laxatis, Solis & Lunae.
 Lienis, Fornelli Vlmitelli.
 Lycheni, Scrophae.
 Leprosis, Rainerij. Scrophae. Vlmitelli.
 Lacti, Colatae. Fontanae.
 Lentigini, Foris cryptae.
 Lapidis, Petrae. Fontanae. S. Georgij. Fornelli Gurgitelli.
 Lumbricis, Castiglioniis.
- M** Entis defectui Tripergulae. Colaturae.
 Mucoribus, Gibborofi.
 Maculis faciei, Petrolei Culmae.
 Mulieribus abortum facientibus, S. Montani.
 Mulieribus sterilibus, Saluinae, Gu-

nae. Gurgitelli.
Morbo Gallico, Stomachi.
Membris consumptis, Foris
Cryptae. Orthodonici. Iun-
carae. Pugilli. Gurgitelli.
Matrici, Bullae. Sulphetariae.
Saluanae. Gibborofi.
Morphaeae, Petrolei,
Morbo cuiusque, Gibborofi.

Nephr tidi, Speluncae.
Nauseae, Fatarum.
Fontanae.

Nerus, Calae Vmbraſchi.
Colatae. S. Crucis Culmae.
Scrophae. Speluncae.

Oculis, Bullae. Astruni.
S. Anastasiae. Prati. S.
Luciae. Arculi. Ferri. Pa-
lumbariae. Bracculae. Den-
tium Caiuncarum.
Ossium frac uris, Ferri. Fon-
tanae. Saliceti.

Phlegmati, Ferri. Fontis
retis. Stomachi.
Frurigini, Ferri. Culmae.
Petrolei.

Pituitae, Fornelli. S. Crucis.
Colaturae.

Paralyſi, Fornelli. Ferri. Co-
latae.

Futredini, Rainerij.
Phthyſi, Orthodonici.

Podagrae, Subſidij hom. Tri-
pergulae. Scrophae. S. Cru-
cis. Solis & Lunae. Episcopi.
Fatarum. Fornelli. Spelun-
cae. Saliceti.

Pulmoni, Foris cryptae. For-
nelli.

Pollutionib. nocturnis. Ferri.
Fleuritidi, Astruni.

Pectori, Astruni. Foris cry-
ptae. Petrae.

Pforae, Agnonis.

Pilis, Plagae.

Quartanae, Balneoli.
Subcellarij. Fornel-
li. Vlmittelli.

Renibus, Iuncariae. Pe-
trae. Fontanae. Ferri.
Saliceti. Doiani.

Rheumati, Ferri. Arculi. Ca-
stiglioniſ.

Raucedini, Culmae. Braccu-
lae.

Ruptis, Solis & Lunae.

Somno, Fontanae. Arculi.
Symptomatibus, Triper-
gulae.

Scabiei, Rainerij. Scrophae.
Subcellarij. Fontanae. Caſti-
glioniſ. Gurgitelli. Ferri. Ca-
pitelli. Agnonis. Saliceti.

Surditati, S. Luciae. Fornelli.
Scrophulis, Scrophae.

Sanguinis fluxu, Solis & Lunae.
Cantarelli.

Sanguinis sputo, Ferri.
Strumosis humoribus, Caſti-
glioniſ. Ferri.

Spleni, Ferri. Subcellarij. Pu-
gilli. Caiuncarum.

Stomacho, Foris cryptae.
Iuncariae, Orthodon. Co-

laturae Arcus Triperg. S. Ni-
colai. Arculi. Subcellarij. Pa-
lumbariae Episcopi. Fatarum
Fornelli. Gurgitelli. Stoma-
chi. Ferri. Fontis retis.

Tuſſi, Foris cryptae. Cola-
turae. Subcellarij. Spe-
luncae.

Testiculis, S. Crucis.

Testiculorum pruritui, Nitroſi.

Tuſſiſmo, Citarae. Doiani.

Tristitiae, Subueni hom.

Veneri, Iuncariae.
Ventriculi, Astruni. Subſid-

homin. Arcus. Scrophae.
Crucis. Pugilli. Caſtiglionis.

Voci, Astruni. Bracculae.

Vesicae, Petrae. Fornelli. Ferri.

Vulneribus Stomachi. Caiun-
carum. S. Crucis.

Visceribus, Ferri. Prati. S. Cru-
cis.

Vlceribus, Ferri. Cantarelli.
Solis & Lunae.

Vlceribus crurum. Gradonis.

Vrinae, Subcellarij. Caſtiglio-
nis.

Vtero, Ferri. Stomachi. S. Re-
ſtitutae.

Ventriculo, S. Crucis. Astruni.
Ferri Caiuncarum,

Vomitioni, Ferri, Fontis retis
& Citarae.

Vertigini, Fornelli.

Vnguibus scabrosis, Grado-
nis.

Imprimatur. Alexander Gratianus Vic. Gener. Capitul. Neap.

Vidit Cortesius Brana Theol. Specialiter deputatus a Reuerendiſſ.
D. Vicario Generali.



Lib

Raro 20

108.40



